

APPENDICES



Eremi in antiquo monasterio Camaldulensium in suburbio Varsaviensi Bielany sito. A. 1919 in possessione Congregationis Marianorum erant.
Achilles Ratti exercitia spiritualia Episcopali Ordinationi praevia hic peregit diebus 12-20 Octobris a. 1919 (cfr. N. 1219)

A. 1.

Aepi Alexandri Kakowski relatio de statu archidioecesis Varsaviensis in Polonia

Varsaviae, 1918.

Aepus primum refert de archidioecesis creatione, de eius dioecesibus suffraganeis et episcopatu metropoleos; affert informationes ad territorium archidioeceseos, numerum fidelium, clerum dioecesanum et regularem, divisionem administrativam internam archidioeceseos pertinentes; deinde generaliter scribit de religiositate fidelium et incremento cultus divini. Subsequentibus relationis capitibus continentur accuratae informationes: de persona ordinarii et eius facultatibus, de curia dioecesana, de zelo pastorali, statu morali et condicione sociali cleri, de capitulo cathedrali et ecclesia collegiata Loviciensi, de paroeciis et parochis, de studiis in Seminario Dioecesano et in Facultate Theologica in Universitate Studiorum Varsaviensi, de domibus religiosis et sodalibus Ordinum et Congregationum religiosarum masculinis et muliebribus, de condicione religiosa, sociali, politica fidelium, de institutione et educatione iuuentutis, de confraternitatibus et societatibus religiosis, de actione didactica et benefica, quae in archidioecesi exerceretur.

Cop. (dactylogr.): AV, Arch.Nunz.Vars. 206 f. 627r-645v.

Relatio de statu archidioecesis Varsaviensis in Polonia Prooemium relationis

1. Dr. Alexander Kakowski, Suae Sanctitatis Praelatus Domesticus, die 5 Februarii 1862 anno in pago Dębiny, dioecesis Plocensis in Polonia, natus, die 30 Maii 1886 anno presbyter ordinatus; die 7 Maii 1913 anno Archiepiscopus Varsaviensis praconisatus; die 22 Iunii eiusdem anni consecratus; sedem vero archiepiscopalem ascendit die 14 Septembris eodem anno.

2. In universum populus fidelis, legibus Dei et Ecclesiae obediens, deitus est. Pars cultior populi, quae vulgo "intelligens" dici solet, quosdam, non paucos, quoad rem religionis indifferentes, immo etiam nonnullos expresse Ecclesiae inimicos, habet. In magnis civitatibus opifices principiis socialismi faventes inveniuntur. Durante atrocissimo hoc bello cupiditas bonorum materialium notabiliter crevit, quinimmo ultimis his temporibus adhuc aucta est. Libertate Poloniae recuperata, eandem Ecclesiae restituendam fore spe-

ratur. Assidua vero cleri cura et studio vitia, quae invaluerunt, extirpabitur vitaque vere christiana promovebitur.

Caput I.
Generalia de statu materiali

3. a) Anno 1402 erectus est archidiaconatus Varsaviensis cum ecclesia collegiali, penes quam residebat capitulo collegiale. Archidiaconatus Varsaviensis pars fuit dioecesis Posnaniensis. Dismembrata Polonia erectus est 1797 a. Varsaviae ex quadam parte territorii, quae subdivisionem regis Prusiae cessit, novus episcopatus Varsaviensis. Episcopatus hic a. 1817 quarto Idus Martii a Pio Papa VII ad archiepiscopalim metropolitanae ecclesiae gradum ac dignitatem sub titulo S. Ioannis Baptistae erectus est¹, pridie vero Kalendas Iulii 1818 a. ab eodem Summo Pontifice bulla "Ex imposita Nobis" limites eius circumscripti fuerunt².

Archidioecesis Varsaviensis habet septem dioeceses sibi subiectas: 1) Vladislavensem seu Calissiensem, 2) Plocensem, 3) Lublinensem, 4) Sandomiriensem, 5) Sejnensem seu Augustoviensem, 6) Janoviensem seu Podlachiensem et 7) Kielensem. Dioecesis Janoviensis seu Podlachiensis a gubernio Russico suppressa erat, sed suppressio haec sine consensu Sedis Apostolicae facta nulla ac irrita erat. Ast nunc gratia Sanctae Sedis dioecesis Podlachiensis restituta est. Dioecesim Vladislavensem regit episcopus Stanislaus Zdzitowiecki; dioecesim Plocensem - episcopus Antonius Julianus Nowowiejski; Lublinensem - episcopus Marianus Fulman; Sandomiriensem - episcopus Marianus Ryx; Sejnensem - episcopus Antonius Karaś; Podlachiensem - episcopus Henricus Przeździecki; Kielensem - episcopus Augustinus Łosiński.

Archiepiscopus Varsaviensis duos habet episcopos auxiliares, nempe: Varsaviensem et Loviciensem, episcopus Vladislavensis pariter duos episcopos auxiliares; quisque ceterorum episcoporum provinciae Varsaviensis habet unum episcopum auxiliarem. Id quidem de iure tempore ditionis Russicae erat. Nam de facto archiepiscopo auxilium usque ad ultima tempora ferebat unus tantum Casimirus Ruszkiewicz, archiepiscopus titularis Nacoliensis, octoginta duorum annorum senex, alii autem auxiliares episcoporum dioecesanorum de facto vacabant. Tandem anno 1918 Sanctissimus Dominus Benedictus XV Papa, benignissime annuendo petitioni conventus

¹ Bulla *Militantis Ecclesiae*, cuius textum Polonicum edidit O. Beiersdorf in opere *Papiestwo wobec sprawy polskiej w latach 1772-1864. Wybór źródeł* [Papatus erga causam Polonam annis 1772-1864. Fontes selecti], Wrocław 1960, p. 63-67; textum Latinum vide in: *Akty i gramaty o ustrojstwie i upravljenii rimsко-katoličeskoj Cerkvi v Imperii Rossijskoj i Carstve Pol'skom* [Acta et documenta de systemate et regime Romano-Catholicae Ecclesiae in Imperio Russiae et Regno Poloniae], [Petropoli] 1849, p. 137-140.

² Textum bullae in lingua Latina vide: *Akty i gramaty o ustrojstwie i upravljenii rimsко-katoličeskoj Cerkvi v Imperii Rossijskoj i Carstve Polsk om*, p. 141-152; in lingua autem Polonica vide: *Papiestwo wobec sprawy polskiej w latach 1772-1864*, p. 271-283.

episcoporum provinciae Varsaviensis, die 13 Decembris 1917 anno celebrati³, dignatus est praeconisare: archiepiscopo Varsaviensi alterum auxiliarem episcopum Stanislaum Gall; episcopo Stanislaao Zdzitowiecki - duos auxiliares episcopos Adalbertum Owczarek et Vladislaum Krynicki⁴; episcopo Antonio Iuliano Nowowiejski auxiliarem episcopum Adolphum Szelążek; episcopo Mariano Ryx auxiliarem episcopum Paulum Kubicki⁵; episcopo Antonio Karaś auxiliarem episcopum Romualdum Jałbrzykowski. Praedicti episcopi titulares iam consecrati sunt et suppetias respectivis dioecesanis episcopis ferunt.

Archiepiscopus Varsaviensis vi bullae "Romani Pontifices" de die 6 Octobris 1818 anni gaudet titulo primatis Regni Poloniae necnon privilegio habitus rubri seu purpurei coloris ad instar S. R. E. Cardinalium quibusvis anni temporibus ubique locorum, excepto pileolo seu subbireto.

b) Longitudo dioecesis est prope 220 kilometrorum, latitudo extenditur prope 110 kilometra. Archidioecesis ante hodiernum bellum pertinebat ad imperium Russiae; tempore belli die 5 Novembris 1915 anni proclamatum est ab Imperatoribus Austriae et Germaniae independens Regnum Poloniae, sed sine circumscriptione limitum, die vero 7 Octobris 1918 a. Consilium Regentium Regni Poloniae proclamavit regnum ex omnibus partibus dismembratae saeculo XVIII^o Poloniae constans. Supremum regimen Regni Poloniae erat Consilium Regentium, quod constabat ex tribus viris praeside archiepiscopo Varsaviensi. Novis vicissitudinibus occurrentibus d. 14 Novembris 1918 anni Consilium Regentium finem laboribus a se sumptis imposuit novaque definitiva constitutio Poloniae expectatur⁶.

Coelum climatis salubre est. Lingua universi populi polonica est nisi excipiatur in nonnullis parochiis advenae germani, pro quibus catechisatio puerorum puellarumque et praedicatio Verbi Divini lingua germanica traditur.

c) Residentia Archiepiscopi est urbs capitalis Poloniae - Varsavia, in palatio ad plateam Miodowa nr 13.

d) Ante bellum archidioecesis habuit 2 120 687 fideles catholicos, tempore belli numerus fidelium decrevit, ita ut initio anni 1918 circa 1 832 000 accedit, sub finem autem huius anni numerus fidelium augetur ad 1 860 000 ascendendo; nam multi expulsi in Russiam aut captivi in aliis regionibus detenti patriam petunt. Praecipua oppida sunt: 1) Urbs Varsavia, quae prope decies centena milia incolarum ante bellum habuit; oppidum Łódź, cuius numerus incolarum ante bellum ad 750 000 prope accedebat, oppida: Zgierz,

³ Cfr. ANP LVII/1, annexa 1-3 ad N. 1, p. 6-30.

⁴ Epus Vladislaus Paulus Krynicki, cfr. ANP LVII/1, notam 596, p. 269.

⁵ Epus Paulus Franciscus Kubicki, cfr. ANP LVII/3, notam 125, p. 29.

⁶ Plura de hac re vide: K. W. Kumaniecki, *Odbudowa państwości polskiej. Najważniejsze dokumenty 1912-styczeń 1924* [Restitutio status Polonici. Maioris momenti documenta ab a. 1912 usque ad m. Ianuarium 1924], Warszawa 1924, p. 48, 50, 71-72; J. Pajewski, *Odbudowa państwa polskiego 1914-1918* [Restauratio status Polonici 1914-1918], Warszawa 1978, p. 116.

Żyrardów, Łowicz, Skierniewice, Tomaszów Rawski⁷, Mińsk Mazowiecki, Kutno et alia minora.

e) Sacerdotes saeculares in archidioecesi sunt universim 608, sacerdotes regulares universim 41, in facultate theologica universitatis Varsaviensis studiosi ex archidioecesi 11, alumni Seminarii 128.

f) Illustrissimum capitulum cathedrale est Varsaviae, et capitulum insignis collegiatae in oppido Łowicz.

g) Ecclesiae parochiales cum annuo salario parochi 600 rubellorum sunt 12, ecclesiae parochiales cum annuo salario parochi 400 rubellorum sunt 18, ecclesiae parochiales cum annuo salario 300 rubellorum sunt 263, ecclesia parochialis cum annuo salario 225 rubellorum est 1, ecclesiae parochiales cum annuo salario 150 rubellorum sunt 3; ecclesiae filiales cum cura animarum cum annuo salario 150 rubellorum sunt 2, ecclesiae parochiales absque ullo salario annuo a gubernio solvendo 8. Maximus numerus fidelium est penes ecclesiam parochiale in suburbio Varsaviensi Praga, nempe 78 000, minimus numerus fidelium est penes ecclesiam parochiale in Niesułków, nimirum 136. Ecclesia parochialis Pragensis multo numerosior fuit, sed iam, me archiepiscopo, ab hac paroecia avulsae fuerunt et erectae tres novae parochiae, nempe: 1^o ecclesia parochialis SS. Corporis Christi ad plateam Grochowska cum numero fidelium 12 000, 2^o ecclesia parochialis S. Rosarii B. M. V. in Nowe-Bródno cum numero fidelium 27 320; ecclesia parochialis in pago Ząbki cum numero circa 10 000 fidelium; insuper omnia parantur, ut nova adhuc parochia erigatur in pago Targówek cum numero circiter decem milia fidelium ibique ecclesia iam aedificari coepit. Pariter notandum est, a me Varsaviae erectam esse novam parochiam S. Iacobi in suburbio Varsaviensi Ochota cum numero fidelium circa 25 000, ibidem exstructam esse provisoriam capellam ligneam, et construi magnam et splendidam ecclesiam muratam; non est praetereundum, me archiepiscopo, in oppido Łódź duas novas parochias, nempe Sacratissimi Cordis Jesu cum numero fidelium circiter 5 866 et Transfigurationis D. N. Jesu Christi cum numero fidelium 17 400 erectas esse. Minima parochia in Niesułków anno 1906 pene totaliter defecit ab Ecclesia et sectae "mariavitiae" accessit, ut tantum 17 personae fideles Ecclesiae permanerent, nam parochus ipse haeresi nomen dedit⁸. Nihilominus parochus catholicus in loco residet et numerus fidelium catholicorum quotannis crescit.

Omnes istae parochiae dividuntur in quattuordecim vicariatus foraneos seu decanatus, quibus praesunt decani. Iam vero ultimo anno a me parata est nova ordinatio decanatum, quorum numerus supra duplo erit; tandemmodo ad assequendum hoc consilium occurrens tempus exspectatur,

⁷ Nunc: Tomaszów Mazowiecki.

⁸ Cfr. ANP LVII/3, N. 307, p. 101, 110-111.

nimirum ut nova circumscrip^tio decanatum corresponeat noviter propositae circumscriptioni districtuum administrationis civilis⁹.

Praeter ecclesias parochiales et filiales cum cura animarum in archidioecesi existunt 56 ecclesiae non parochiales et 160 capellae publicae, in quibus omnes sacrae functiones non parochiales pro fidelibus peraguntur.

Loca concursu fidelium celeberrima sunt: 1) ecclesia cum cura animarum in Łagiewniki, ubi tenerrimo cultu prosequitur imago S. Antonii Paduani ibique requiescit corpus servi Dei Raphaelis Chyliński¹⁰, Ordinis S. Francisci Conventualium, in odore sanctitatis defuncti; 2) ecclesia filialis in Miedniewice, ubi imago S. Familiae, vulgo B. Mariae V. Miednievicensis, coronata, speciali cultu prosequitur; 3) ab incolis Varsaviae, qua patronus urbis colitur B. Ladislaus de Gielniów¹¹, Ordinis S. Francisci de Observantia, cuius sacrae exuviae in peculiari capella ecclesiae filialis S. Annae Varsaviae asservantur et publice venerantur; 4) tandem in oppido Góra Kalwaryja in ecclesia filiali, olim P. P. Marianorum, requiescit corpus Venerabilis servi Dei Stanislai Papczyński¹², Institutoris Congregationis Marianorum, qui a clero et fidelibus locorum cultu tenerrimo prosequitur.

h) Usque ad annum 1918 in archidioecesi extabat unum tantum monasterium, unica domus religiosorum, nempe conventus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum in Nowe Miasto cum numero 11 religiosorum sacerdotum et laicorum, qui anno 1918 constabant numero 8 sacerdotum et 10 laicorum. Anno 1918 invitavi Varsaviam et aperui sex novas religiosorum domus, videlicet:

1° monasterium conventus Ordinis S. Francisci Fratrum Minorum Capuccinorum penes ecclesiam Transfigurationis D. N. Jesu Christi ad plateam Miodowa cum numero religiosorum 2 sacerdotum et 2 fratrum;

2° domum religiosam Congregationis S.S. Redemptoris seu Ligurianorum penes ecclesiam S. Stanislai E. M. in suburbio Varsaviensi Wola cum numero religiosorum 4 sacerdotum et 2 laicorum;

3° domum religiosam Congregationis Missionum S. Vincentii a Paulo seu Lazaristarum penes ecclesiam parochiale S. Crucis ad plateam Krakowskie Przedmieście cum numero religiosorum 5 sacerdotum et 1 laico; insuper ab eadem Congregatione moderatur Convictus Studiosorum in facul-

⁹ A. 1925 archidioecesis Varsaviensis in 19 decanatus divisa est.

¹⁰ B. Raphael (nomen ex baptismo Melchior) Chyliński (1690-1741), OFM Conv., ascetes, confessor et tutor pauperum atque infirmorum. Curam animarum pastoralem exercebat in Łagiewniki et Cracoviae. Summus pontifex Ioannes Paulus II eum Varsaviae die 9 VI 1991 beatum promulgavit.

¹¹ B. Vladislaus de Gielniowo (circa 1440-1505), Bernardinus, eximius concionator, poeta. Beatum eum proclamavit a. 1750 Benedictus XIV papa, Ioannes vero XXIII a. 1962 eum primum patr^{um} Varsaviae promulgavit.

¹² Stanislaus (nomen in baptism^o datum erat Ioannes Baptista) Papczyński (1631-1701), conditor Congregationis Sacerdotum Marianorum. Studiis apud Iesuitas Leopoli et in Podoliniec (in Scepusio) absolutis a. 1654 ingressus est Congregationem Fratrum Scholarum Piarum et a. 1661 sacerdos est ordinatus. A. 1671 condidit Congregationem Sacerdotum Marianorum ab Immaculata Conceptione BMV.

tate theologica Universitatis Varsaviensis ad plateam Traugutta cum numero religiosorum 3 sacerdotum et 1 laico;

4° domum religiosam Sodalium Societatis Jesu penes ecclesiam filialem B. Mariae V. de Gratiis ad plateam Św. Jańska cum numero 3 sacerdotum;

5° domum religiosam cum novitiatu Congregationis Clericorum Regularium ab Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis seu Marianorum penes ecclesiam parochialem in suburbio Varsaviensi Bielany cum numero 8 sacerdotum et 8 laicorum; eadem Congregatio penes Capellam publicam Infantis Jesu Varsaviae ad plateam Moniuszko¹³ possidet stationem religiosam cum numero 2 sacerdotum et 3 laicorum necnon ab iisdem moderatur asylum puerorum in instituto "Coniugum Mańkowskiego"¹⁴ in suburbio Praga cum numero 1 sacerdotis et 3 laicorum;

6° domum religiosam Ordinis S. Francisci Conventualium in pago Łagiewniki penes oppidum Łódź cum duobus ad interim sacerdotibus.

Quae omnes domus religiosae in praesentiarum sunt in via intensivae formationis, belli autem impedimentis cessantibus ordineque publico plene restituto earum splendidum incrementum sperare licet.

i) Usque ad annum 1918 in archidioecesi monasteria monialium erant, nempe:

1° monasterium monialium a Visitatione B. Mariae Virginis, ad plateam Krakowskie Przedmieście Varsaviae 11 personis constans;

2° monasterium monialium Ordinis S. Benedicti a Perpetua Adoratione SS. Sacramenti ad plateam Nowe-Miasto Varsaviae, ubi 13 sorores I chori et 5 sorores II chori numerantur;

3° anno 1918 restitutum est tertium in archidioecesi monasterium monialium Ordinis S. Clarae seu Bernardinarum, quae a me invitatae, anno 1918 advenerunt atque domum in oppido Łowicz ad Ecclesiam S. Elisabeth vindicaverunt cum numero 3 sororum I chori et 5 sororum II chori;

4° insuper in archidioecesi vitam communem usque ad annum 1918 degabant Sorores Congregationis ab Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis in pago Szymanów, ubi sunt 24 sorores primi chori, 30 coadiutrices 2 chori et 2 sorores pro servitio externo.

Anno 1918 domum religiosam nacta est Congregatio Sororum S. S. Familiae de Nasareth Varsaviae ad plateam Wilcza nr 16, 8 personis constans.

Ex aliis congregationibus usque ad annum 1918 etiam a gubernio Russico admissae erant Sorores Charitatis S. Vincentii a Paulo cum domo principali Varsaviae ad plateam Tamka, quae in 42 domibus Varsaviae et per

¹³ Stanislaus Moniuszko (1819-1872), princeps compositorum musicalium Polonorum altera metietate saeculi XIX, unus ex creatoribus styli nationalis in musica Polona, creator "operae" Polonicae nationalis.

¹⁴ Domum a nomine Mańkowski nuncupatam, derelictis pueris 7-14 annorum destinatam, fundaverunt coniuges Hedvigis et Venceslaus Mankowski a. 1901. Venceslaus Mańkowski (1820-1905), fuit unus ex creatoribus industriae sacharificiae in Podolia, marescalcus nobilitatis districtus Iampolensis, notus philanthropus et scriptor.

totam archidioecesim opem aegrotis pauperibus et aliis miserabilibus personis et infantibus ferunt; numerus sororum 413 computatur.

Insuper in archidioecesi vitam communem ducunt variae congregations religiosae, quae sub ditione Russica clam degere cogeabantur.

Huc spectant duae congregations virorum:

1º Congregatio "Servorum Mariae" Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia cum domo principali in Nowe Miasto. Sodales in universum 200 arti manufactoriae addicti sunt a Patribus Ordinis S. Francisci Fr. Min. Capuccinorum moderantur, qui Sodalium Congregationis curam spiritualem gerunt.

2º Congregatio Filiorum Beatae Mariae Dolorosissimae, quorum domus matrix Vilnae constituta est, in Nowe Miasto sub moderamine eorundem P. P. Capuccinorum stationem habet, ubi duo fratres degunt.

Multae pariter Congregationes mulierum clam vivere, sub ditione Russica cogeabantur, neque in Curia eorum acta asservari potuerunt, bis enim a regimine Russico revisio actorum Curiae instituta erat nihilque de congregationibus occultam vitam degentibus repertum est. Hac ratione a severissima et impia persecutione gubernii Russici congregations protectae sunt. Nunc cessantibus impedimentis et periculis in Curia acta specialia omnium harum congregationum efformantur, ita ut de iisdem in futura relatione archidioecesana Sanctae Sedi ratio exacta reddi poterit.

Demum Varsaviae ad ecclesiam filialem S. Andreae ad plateam Senatorska vitam communem degunt Virgines Canonissae, sub titulo Immaculatae Conceptionis BMV congregatae, quarum numerus ordinarius 12 primi chori et 5 secundi chori, ultimo hoc anno ob mortem sodalium decrevit ita ut 7 primi chori et 4 secundi chori recenseantur. Institutum hoc, iam saeculo XVIII ortum, congregatio religiosa dici nequit, attamen religiose et pie vivit,

Caput II. De fide et cultu divino

4. Ultimo quinquennio in universum cultus divinus in archidioecesi, quemadmodum in tota provincia Varsaviensi quadam ex parte, id est quoad externum exercitium, relativa libertate gaudebat.

Relativa, inquam, libertate, nam tempore dominationis Russorum:

1º sacerdotes, qui a gubernio non fuerunt approbati ad officia exercenda, neque Missam cantare, neque Verbum Dei praedicare nec Sacraenta publice pro populo administrare sine vexatione permittebantur;

2º ordines religiosi suppressi eram, excepto uno, de quo supra art. 3 retuli; ipsi autem sodales superstitis ordinis extra claustra neque exire neque missiones instituere potuerunt;

3º actio religiosa, quae propaganda dicitur, lege russica prohibita erat, dum altera ex parte haereticis, praesertim "orthodoxis" seu russis schismatis et "mariavitis" omnis libertas sub hoc respectu concedebatur;

4° congregations religiosae, quae vitam absconditam ducebant, persequebantur;

5° executio decreti "Ne temere" puniebatur carcere et privatione beneficiorum¹⁵.

Porro tempore belli a mense Novembri 1914 anni usque ad Augustum 1915 anni archidioecesis acie copiarum Germaniae, Austriae et Russiae duas in partes dissecta erat secundum ripas fluviorum Bzura et Rawka. Exercitium cultus divini in territorio adiacenti laudatis ripis in nonnullis parochiis omnino, in aliis ex parte impeditum erat, nam et ipsi incolae earundem paroeciarum cum parochis vel omnino vel ex parte expulsi erant. Imo multae ecclesiae parochiales ibidem sitae, nempe in Kamion, Brochów, Sochażew, Kozłów Biskupi, Bolimów, Ilów, Kurzeszyn, Cielądz ad fundamenta dirutae sunt, plurimae aliae ex parte destructae. At vero statim post discessum Russorum omni cura adlaborabam, ut in parochiis, destitutis ecclesiis suis, capellae provisoriae aedificantur, quod spatio duorum vel trium mensium peractum est.

In archidioecesi aliae etiam ecclesiae in aliis locis dirutae vel destructae sunt iuxta schema I hic appositum¹⁶. Copiae Germanorum, quae magna ex parte constabant viris, haeresi protestanticae addictis, magis cultui acatholico quam catholico favebant. Erant casus profanationis ecclesiarum ab exercitu iuxta schema II hic appositum¹⁷.

Ad finem anni 1918 exercitus Germanorum cedere coactus est; ex hoc tempore de novo ordine sociali et publico in tota Polonia stabiendo agitur speraturque praepotenti actione Sanctae Sedis circa restaurandam rem catholicam in Polonia etiam in archidioecesi iura Ecclesiae tuenda cultumque divinum libere exercendum totamque vitam religiosam promovendam fore.

5. Iuxta responsum in art. 3 datum numerus ecclesiarum parochialium ad rite administranda Sacraenta, Verbum Divinum praedicandum, curam animarum exercendam minime sufficiens dicendus est, quapropter curo et curabo erectionem novarum parochiarum necnon ecclesiarum aut saltem capellarum publicarum.

In praesentiarum sequentes in archidioecesi ecclesiae muratae construuntur.

Varsaviae:

1° ampla et splendida ecclesia Immaculatae Conceptionis BMV, ad quam recenter parochia S. Iacobi erecta est, prout memini art. 3;

¹⁵ Decretum "Ne temere" die 2 VIII 1907 latum, cfr. *De sponsalibus et matrimonio iussu et auctoritate SS.D.N. Pii Papae X a S. Congregatione Concilii editum, Acta Sanctae Sedis*, 40/1907, fasc. 9, p. 525-530.

¹⁶ Vide infra.

¹⁷ Vide infra.

2^o item ampla ecclesia BMV Częstochoviensis, quae dicitur, et B. Ladislai C. Patroni Urbis, penes quam novam pro pauperioribus incolis parochiam erigere quamprimum curabo;

3^o ampla et splendida ecclesia Sacratissimi Cordis Jesu in suburbio Praga, magnis sumptibus principissae Radziwiłł¹⁸ ea mente construenda, ut ibidem etiam parochia nova erigatur, prout retuli art. 3.

Extra Varsaviam:

4^o in oppido Łódź ad finem perducitur constructio ecclesiae parochialis S. Stanislai;

Insuper novae ecclesiae ob necessitatem parochianorum construuntur in: 5^o Gostynin, 6^o Pruszków, 7^o Bąków, 8^o Postoliska, 9^o Dmosin.

Iniuria belli destructae aut ab igne absumptae ecclesiae reaedificantur in: 10^o Kamionna, 11^o Pniewnik, 12^o Stryków, 13^o Główno.

Pariter tempore belli dirutarum ecclesiarum reaedificatio praeparatur in: 14^o Sochaczew, 15^o Rokitno, 16^o Brochów, 17^o Bolimów, 18^o Kozłów Biskupi, 19^o Kamion, 20^o Ilów, 21^o Kurzeszyn, 22^o Cielądz, 23^o Jazgarzew, 24^o Kazuń, 25^o Skoszewy, 26^o Jeziorka, 27^o Niesułków, 28^o Zdżary.

Tandem proponitur erectio novarum ecclesiarum parochialium, dum superstites necessitatibus fidelium minime sufficiunt in oppido Grodzisk.

Propter territorii devastationem et inopiam fidelium bellorum nequitia ad aegestatem redactorum, reaedificatio dirutarum et constructio novarum ecclesiarum citiori quidem gressu peragi non potest. Cum autem mens succurrendi hisce indigentias non deficiat, pace introducta atque prosperis adiunctis stabilitatis propositum circa ecclesias reaedificandas et construendas felicem exitum nancturum esse speratur.

6. Generatim ecclesiae et sacella publica sat instructa sunt iis, quae ad fabricam et supellectilem pertinent; ut eadem munda et decenter ornata sint, provisum est institutione "Commissionis Artisticae et Architectonicae Archidioecesanae", cuius est ecclesiarum constructioni, reaedificationi et renovationi invigilare, praesertim cum membris huius Commissionis e clero designatis opem ferant peritissimi architecti; insuper munditie curatores deputantur decani, qui in visitationibus decanatus invigilare etiam in hanc rem tenentur.

Ecclesiis pauperioribus circa supellectilem sacram opem fert peculiaris "Associatio cultorum SS. Eucharistiae adorandae et pauperioribus ecclesiis providendis", Varsaviae residens, quae non modo ecclesiis archidioecesis, sed etiam aliarum provinciae Varsaviensis dioeceseon ecclesiis succurrere omni studio solet.

Cum autem bellorum nequitia ecclesiae quaedam supellectili sacra spoliatae essent, destinavi specialem "Commissionem providendis ecclesiis pau-

¹⁸ Maria Eva Radziwiłł, de domo Zawisza (1860-1930), beneficentiae promotrix, fundatrix ecclesiarum, ab a. 1879 uxor Michaelis Petri Radziwiłł. Condidit aliquot scholas et asyla pro pueris et institutum pro filiis fabrorum et opificum in Dworzec.

perioribus" circa supellectilem, cuius erat oblatas a clero et piis personis res, cultui necessarias, colligere atque indigentibus easdem distribuere. Hac agendi ratione omnibus necessitatibus circa supellectilem sacram sufficienter provisum est.

7. In singulis ecclesiis tam parochialibus, quam non parochialibus inventarium omnium bonorum et supellectilium habetur, quod triplici in exemplari confectum est, unum custoditur in archivio ecclesiae propriae, alterum - in archivio decani, tertium in curia archidioecesana. Accidente morte aut mutatione parochi vel rectoris ecclesiae inventarium semper conficitur triplici in exemplari atque hac cautione servata neque morte rectoris nec alio quolibet eventu contingere unquam potest, ut aliquid subtrahatur aut disperdatur.

Quapropter cum tempore belli in quibusdam ecclesiis archiva aut ab igne absunta, aut a militibus destructa erant, inventaria bonorum ecclesiae de facili potuerunt de novo confici et revera iam confecta sunt.

8. In quibusdam ecclesiis res vel supellectiles habentur materia, arte, antiquitate pretiosae, etiam codices et libri, picturae, sculpturae, quae in inventariis recensitae sunt. Peculiaris valoris res e supra enumeratis penes ecclesiam cathedralem custodiuntur aut in aerario et bibliotheca collegiatae Lovicensis asservantur. Cautum que pariter est, ne quid etiam tenue sed ratione materiae, artis vel antiquitatis pretiosum sine licentia Sanctae Sedis et iudicio peritorum, praesertim, numeratae in art. 6 "Commissionis Artisticae et Architectonicae Archidioecesanae" venumdetur. Anno 1916 hac in re ordinationem dioecesanam publicavi, unumque sacerdotem, qui contra meam voluntatem duas picturas etiam minoris pretii, sed historici valoris vendidit, a divinis suspensione punivi.

9. Ecclesiae singulis diebus mane et vesperi horis opportunioribus fidelibus patent et debita vigilantia custodiuntur, ne sacrilegiis, profanationibus aliisve damnis obnoxiae sint, nisi casus tempore belli a militibus necnon pauci quinquennio casus furti in ecclesiis commissi excipientur.

10. Ecclesiae semper patent omnibus etiam pauperrimis fidelibus. Tempore quinquenii duo casus erant, ubi rectores ecclesiarum pro musica sacra schedulas pecunia emendas introducere volebant, quod a me reprehensum et vetitum est.

11. Ecclesiae et sacella nunquam adhibentur ad aliquem profanum usum, ad academicos coetus, musicos concentus, aliaque id genus. Tempore tamen belli ab exercitu Germanorum abusus erga ecclesias commissi sunt, prout schemate II exhibetur.

12. In omnibus ecclesiis et sacellis archidioecesis, in quibus Sanctissima Eucharistia asservatur, conditiones a iure requisitae ad conservationem SS. Sacramenti legitime servantur; omnis cura adhibetur, ut altare SS. Sacramenti cultu, munditio et ornato emineat.

Tempore belli propter penuriam olei et cerae, quae nullo modo emi potest, lampas coram Sanctissimo electricitate vel petrolio fovet, sunt tamen ecclesiae praesertim in pagis, ubi nec electricitas nec petrólium etiam magno pretio emi potest. Adeps omnis a potestate occupante sequestrata est. Neque defectus hic etiam post discessum Germanorum suppleri statim potest.

13. Poenitentiae tribunalia omnino collocata sunt in patenti ecclesiae loco et cratibus instructa iuxta canonicas leges.

Petitioni parochorum urbis Varsaviae, ut confessiones basque superpelliceo propter penuriam et maximum pretium smegmatis non acquevi, imo expresse ordinavi, ut confessiones in confessionali, a sacerdote superpelliceo, etiam minus mundo, induo excipientur.

14. Reliquiae sacrae, quae in ecclesiis et sacellis cultui publico exponuntur, sigillo et documentis authenticitatis munitae sunt. Anno 1917 in visitatione ecclesiae filialis in Łagiewniki, ubi corpus Venerabilis Servi Dei Raphaeli Chyliński, ordinis S. Francisci Conventualium, asservatur, exuvias has sacras quoad sigillum recognovi.

In quantum a me sciri potest, penes personas privatas reliquiae insigines non servantur, nisi excipiatur reliquia S. Josaphati M. conservata in domo privata principissae Radziwiłł, quae eam Ecclesiae a se construendae destinare videtur¹⁹.

15. In cultu divino, sanctorum veneratione, administratione sacramentorum aliisque sacris functionibus liturgicae leges servantur. Tempore belli a capellanis militaribus copiarum Germanorum nonnunquam praescriptio-nes canonicae violabantur, contra quas protestationem non omisi, epistolam ad episcopum militarem circa hos abusus Vicarius Generalis dedit.

Nonnullae in Polonia existunt consuetudines locales circa functiones sacras liturgicas, quae tamen ab antiquissimo tempore existunt et exercentur iuxta Rituale Romanum Petricoviense a Sancta Sede initio XVII saeculi approbatum, quaeque a p.m. Papa Pio X tolerari posse declaratum est.

In ecclesia cathedrali, collegiata, in ecclesiis principalibus oppidorum et in permultis ecclesiis parochialibus existunt chori cantorum, qui in universum leges liturgicas quoad linguam et cantum observant; in pagis vero, ubi plurimi analphabetae inveniuntur, in cantu etiam lingua polonica adhibetur a populo, nunquam vero a sacerdote.

16. Graves contra fidem errores in universum non serpunt inter archidioecesis fideles, nisi excipientur quidam cultores ingenii, qui non tam erroribus, quam indifferentismo favent, prout retuli art 2. Inter clerum pariter non numerantur qui erroribus circa fidem infecti sint.

¹⁹ Custodes eiusmodi reliquiarum (totius manus sinistrae cum anulo episcopali), quae deinde conservabantur in aedificata postea ex mandato Mariae Evae Radziwiłł ecclesia Sacratissimi Cordis Iesu ad viam Kawęczyńska Varsaviae, patres Salesiani, qui die 16 V 1996 ad petitionem primatis Poloniae tradiderunt eas dioecesi Byzantino-Ucrainae ecclesiae cathedrali Premisliae destinandas.

17. Ad praecavendos errores contra fidem institui consilium vigilantiae, quod membris e clero Varsaviensi et archidioecesano constat, quodque hoc anno membris e clero regulari assumptis augere potui. Consilium Vigilantiae constituunt: sacerdotes Casimirus Kuderkiewicz Ord. S. Francisci Fr. Min. Capuccinorum; Ignatius Kłopotowski²⁰; Felix Kozłowski²¹; Gulielmus Michalski, Congr. Missionum²²; Felix Puchalski²³; Ioannes Słonkowski SJ²⁴, Casimirus Sobolewski²⁵, Ceslaus Sokołowski²⁶, Antonius Szlagowski²⁷, Vincentius Tymieniecki²⁸.

Consilium Vigilantiae usque ad belli tempus ordinarie altero mense mecum de re, sibi a Sancta Sede demandata, deliberavit, ortis belli perturbationibus quaedam tantum sessiones coadunari potuerunt. Placita, quae modernismo aut liberalioribus circa fidem principiis faveant in universum non deprehenduntur in clero. Si quae minus recte dicta in scriptis cleri deprehensa sunt, statim correcta sunt neque vim ullam exercebant. In libris Varsaviae editis labes modernismi non evulgatur, nisi excipiantur pauca scripta laicorum, qui liberalismo imbuti quandoque modernismum extollunt. Cum autem et auctores horum scriptorum uti adversarii religionis revelatae noti sint et eorum ratio scribendi ullis argumentis praecellat, hinc de vi nociva horum librorum parum est timendum.

Censores librorum de religione tractantium 33 deputati sunt, siquidem Varsaviae maior pars librorum polonorum edi solet, unde censorum nonnisi numerus maior officio suo satisfacere potest. Munera haec adimplentur omni qua par est diligentia, imo in quibusdam casibus etiam a duobus censoribus ante libri approbationem sententia exquiritur.

²⁰ Sac. Ignatius Kłopotowski, cfr. ANP LVII/3, notam 485, p. 175.

²¹ Sac. Felix Kozłowski, cfr. ANP LVII/1, notam 521, p. 236.

²² Sac. Gulielmus Vincentius Michalski, cfr. ANP LVII/1, notam 436, p. 193.

²³ Sac. Felix Puchalski (1863-1929), presbyteratus ordinem accepit a. 1889. A. 1904-1908 functus est munere administratoris paroeciae Żychlin in decanatu Kutno. A. 1909-1918 fuit parochus paroeciae sub invocatione s. Stanislai in Wola. A. 1919-1929 fuit decanus decanatus Varsaviensis urbanii et parochus paroeciae sub invocatione s. Antonii, in Consilio Vigilantiae a. 1919-1929. A. 1920 factus est canonicus gremialis Capituli Metropolitani Varsaviensis.

²⁴ Sac. Ioannes Słonkowski (revera: Słonina 1870-1934) SJ, concionator, tutor singulorum ordinum Sodalitatum Marianorum et Apostolatus Orationis. Ordinem ingressus est a. 1888. Studiis philosophicis et theologicis Tarnopoliae et Cracoviae absolutis a. 1896 presbyteratus ordinem suscepit. Ab a. 1896 commoratus est Chyrviae, ubi ab a. 1896-1910 fuit professor et educator, a. 1908-1910 praefectus generalis et a. 1910-1914 rector Instituti Scientiarum et Educationis. A. 1915-1917 fuit vicesperior residentiae Leopoliensis, et deinde, a. 1917-1920 superior residentiae Varsaviensis, a. 1920-1922 Tessinii et a. 1923-1925 in Zakopane. Annis subsequentibus functus est munere patris spiritualis in Staniątka, Leopoli et Chyrviae.

²⁵ Sac. Casimirus Sobolewski (1865-1935), sacerdos ordinatus est a. 1890. Ab a. 1908 fungebatur munere administratoris, et deinde parochi paroeciae in Mińsk Mazowiecki, a. 1912-1923 decani decanatus Minscensis in Masovia. A. 1926-1930 fuit parochus et decanus Loviciae (Łowicz). A. 1930 nominatus est canonicus Capituli ecclesiae Collegiate Loviciensis. In Consilio Vigilantiae a. 1919-1935. Insignitus cruce "Pro Ecclesia et Pontifice".

²⁶ Sac. Ceslaus Sokołowski, a. 1919 nominatus epus auxiliaris dioecesis Podlachiensis.

²⁷ Sac. Antonius Szlagowski, cfr. ANP LVII/1, notam 434, p. 192.

²⁸ Sac. Vincentius Tymieniecki, cfr. ANP LVII/3, notam 76, p. 18.

Officium censoris adimplent sequentes sacerdotes:

- 1) Brzeziewicz Eusebius, 2) Ciemniewski Marcellus²⁹, 3) Ciepliński Antonius, 4) Fajęcki Alexander³⁰, 5) Fiatowski Henricus, 6) Gautier Georgius³¹, 7) Jamiołkowski Ioseph³², 8) Kalinowski Leo³³, 9) Kłopotowski Ignatius, 10) Korniłowicz Vladislaus³⁴, 11) Kozłowski Felix, 12) Krajewski Ioannes³⁵, 13) Lipiński Alexander³⁶, 14) Niedzielski Ioannes³⁷, 15) Nowakowski Marcellus³⁸, 16) Nowakowski Petrus³⁹, 17) Nowakowski Sergius Alexander⁴⁰, 18) Perkowski Alexander⁴¹, 19) Puchalski Felix, 20) Radzikowski Ignatius⁴²,

²⁹ Sac. Marcellus Ciemniewski (1862-1927), presbyteratus ordinem suscepit a. 1884. A. 1898-1927 fuit parochus paroeciae Warka in decanatu Grójec. A. 1909 adeptus est dignitatem canonici generalis Capituli Metropolitani Varsaviensis.

³⁰ Sac. Alexander Fajęcki, cfr. ANP LVII/1, notam 413, p. 188.

³¹ Sac. Georgius Gautier, cfr. ANP LVII/4, notam 903, p. 352.

³² Sac. Iosephus Jamiołkowski, cfr. ANP LVII/1, notam 524, p. 236.

³³ Sac. Leo Kalinowski (1885-1934), presbyteratum suscepit a. 1913. A. 1915-1929 fuit professor in Seminario Metropolitano Varsaviensi et a. 1921-1929 eiusdem Seminarii rectoris vices gerens. A. 1930-1934 functus est munere parochi paroeciae Nativitatis BMV et decani decanatus Varsaviensis urbani. Fuit cubicularius ad honorem Suae Sanctitatis et insignitus est cruce "Pro Ecclesia et Pontifice".

³⁴ Sac. Vladislaus Aemilius Korniłowicz (1884-1946), liturgicae peritus, periodorum moderator. Studii scientiarum naturalium Turici Helvetiorum a. 1903-1905 absolutus, ingressus est Seminarium Maius Varsaviense et ab a. 1906 pergebat studia philosophica et theologica Friburgi Helvetiorum, ubi gradum licentiati theologiae est adeptus. Presbyteratus ordinem suscepit a. 1912 Cracoviae. Ab a. 1918 fungebatur munere notarii in Curia Metropolitana Varsaviensi et professoris liturgices in Seminario Alumnorum. Ab a. 1920 suscepit directionem spiritualem Congregationis Sororum Franciscalium Ancillarum Crucis. A. 1920-1930 fuit moderator Convictus Theologici penes Catholicanum Studiorum Universitatem Lublinensem, necon professor liturgices et ethices in eadem Universitate. Ab a. 1930 commoratus est in Laski prope Varsaviam fungens munere cappellani in Instituto pro Caecis ibi extante.

³⁵ Sac. Ioannes Krajewski (1870-1932), ab a. 1921 incardinatus recens creatae dioecesi Łódzieni. Sacerdos ordinatus est a. 1894. A. 1908-1912 fungebatur munere parochi paroeciae in Nowe Miasto, a. 1913-1918 parochi in Tomaszów Mazowiecki, et a. 1918-1921 parochi Lanciensis et decani decanatus Lanciensis (Łęczyca). A. 1919 factus est canonicus Capituli ecclesiae Collegiatae Lanciensis. A. 1922-1930 expletiv munus professoris in Seminario Maiore Łódzieni eiusque rectoris usque ad a. 1927. A. 1923 adeptus est dignitatem praelati archidiaconi Capituli Cathedralis Łódzienis et factus est parochus paroeciae s. Annae et visitator scholarum pro urbe Łódź.

³⁶ Sac. Alexander Lipiński, cfr. ANP LVII/3, notam 61, p. 16.

³⁷ Sac. Ioannes Niedzielski, cfr. ANP LVII/3, notam 107, p. 24.

³⁸ Sac. Marcellus Venceslaus Nowakowski, cfr. ANP LVII/2, notam 10, p. 308.

³⁹ Sac. Petrus Nowakowski (1875-1922), ordinem presbyteratus suscepit a. 1898 et laborabat tamquam vicarius in paroecias Żabików et Biała, et a. 1904-1917 tamquam magister religionis in scholis elementariis et mediis. A. 1918 nominatus est parochus paroeciae s. Annae in Łódź.

⁴⁰ Sac. Alexander - Sergius Nowakowski (1868-1938). Acceptis ordinibus sacris a. 1892 laborabat munere fungens vicarii in Zgierz et Varsaviae. Ab a. 1915 fuit magister religionis in II Gymnasio Puellarum Varsaviae. A. 1927 in quietem tamquam emeritus transiit.

⁴¹ Sac. Alexander Perkowski, natus a. 1871, presbyteratum accepit a. 1896. Primum laborabat tamquam vicarius in paroecia Skieriewice et paroecia cathedrali Varsaviensi. A. 1899-1905 fuit parochus paroeciae Jakubów, deinde a. 1911-1913 in paroecia Piątek et a. 1914-1918 in Ślużewo. A. 1920-1921 functus est munere procuratoris Seminarii Alumnorum Varsaviensis.

⁴² Sac. Ignatius Radzikowski (1859-1937), sacerdos ordinatus est a. 1885. A. 1897-1900 functus est munere administratoris paroeciae Powiśle et ab a. 1901 parochi paroeciae Tarczyn in decanatu Grójec.

21) Sienicki Bronislaus⁴³, 22) Sokołowski Ceslaus, 23) Stefanowski Marianus⁴⁴, 24) Szczęśniak Vladislaus⁴⁵, 25) Szlagowski Antonius, 26) Szmigelski Ioannes⁴⁶, 27) Tomczak Casimirus⁴⁷, 28) Trepkowski Alphonsus⁴⁸, 29) Volkmer Aloisius⁴⁹, 30) Wierzejski Robertus⁵⁰, 31) Wilanowski Boleslaus⁵¹, 32) Wyrębowski Adamus⁵², 33) Załuskowski Vladislaus⁵³.

Caput III.

De iis, quae ad Ordinarium pertinent

18. Omnia bona archiepiscopalia a Gubernio Russico decreto Caesareo, die 14 Decembris 1865 a. dato, in administrationem Gubernii capta seu potius sequestrata sunt. Ex hoc tempore archiepiscopus ex massa ecclesiastica, a gubernio administrata, percipiebat annum censem 6 000 rubelorum.

19. Archiepiscopus habet congruam domum, palatum archiepiscopale vocatum, quamvis a luxu omnino alienum. Gubernium Russicum in domo archiepiscopali, ubi archiepiscopus habitat et curiam suam habet, domicilium duobus consistoriis protestanticis: lutheranorum et calvinistarum concessit. Pluries instantiam feci apud gubernium Russicum et postea tempore occupationis Germanorum, ut palatum archiepiscopale vindicetur in usum exclusivum archiepiscopi, sed omnes conatus mei in vanum cesserunt. Mensse Aprili 1918 a. denuo instantiam feci apud gubernium polonicum, ut omnia bona ecclesiastica in tota provincia Varsaviensi legitimo possessori re-

43 Bronislaus Sienicki, cfr. ANP LVII/3, notam 77, p. 18.

44 Sac. Marianus Stefanowski, cfr. ANP LVII/5, notam 9, p. 454.

45 Vladislaus Maximilianus Szczęśniak, cfr. ANP LVII/1, notam 520, p. 235-236.

46 Ioannes Szmigelski, cfr. ANP LVII/1, notam 533, p. 236.

47 Sac. Casimirus Tomczak, cfr. ANP LVII/3, notam 75, p. 18.

48 Can. Alfonsus Trepkowski, cfr. ANP LVII/1, notam 528, p. 236.

49 Sac. Aloisius Volkmer, cfr. ANP LVII/5, notam 5, p. 483.

50 Sac. Robertus Wierzejski (1880-1949), presbyteratus ordinem accepit a. 1911. Primum laborabat in exercenda cura animarum pastorali tamquam vicarius apud ecclesiam s. Caroli Borromaei Varsaviensem. A. 1913 ingressus est Congregationem Sacerdotum Marianorum. A. 1918-1921 fuit primus moderator Collegii in Bielany, ubi condidit museum scientiarum naturalium.

51 Sac. Boleslaus Wilanowski (1885-1954), theologus, iuris canonici peritus, commentariorum editor. A. 1902 ingressus est Seminarium Alumnorum Varsaviense, deinde in Academia Ecclesiastica Petropolitana studiis operam navabat, quae cum gradu magistri theologiae a. 1911 persolvit. Eodem anno presbyteratus ordinem accepit. A. 1913 gradum doctoris theologiae in Universitate Studiorum Vratislaviensi adeptus est. A. 1919 facultatem docendi ("habilitationem") in Universitate Ioannis Casimiri Leopolitana assecutus est eodemque anno in Universitate Stephani Bátori Vilnensi vices professoris gerens nominatus est. Docebat theologiam fundamentalem et per aliquod tempus etiam Sacram Scripturam, patrologiam, historiam dogmatum et methodologiam doctrinarum theologicarum. A. 1923-1926 publicabat et edebat "Kwartalnik Teologiczny Wileński". A. 1929 nominatus est professor ordinarius et a. 1930 adeptus est gradum doctoris iuris canonici et ius ecclesiasticum docebat in Facultate Iuris et doctrinarum socialium. Confecto altero omnium fere gentium bello operatus est in Universitate Studiorum Lodzieni, docens ius canonicum et historiam iuris generalem.

52 Sac. Adamus Wyrębowski, cfr. ANP LVII/3, notam 84, p. 19.

53 Sac. Vladislaus Załuskowski (1858-1927). Accepto presbyteratus ordine a. 1885 laborabat in exercenda cura animarum parochiali, praeter alia ab a. 1900 fuit vicarius, et deinde rector ecclesiae s. Martini Varsaviae. A. 1920-1923 functus est munere visitatoris scholastici pro urbe Varsavia. Ab a. 1921 fuit rector ecclesiae s. Annae. Adeptus est dignitatem praelati domestici Suae Sanctitatis.

stituantur. Causa nondum soluta est. Idem cum gubernio civili agitur de amovendis ex palatio archiepiscopali consistoriis protestanticis.

20. In domo archiepiscopali habitat archiepiscopus una cum capellano et fratribus memoratae art. 3º Congregationis Servorum Mariae, qui officia domesticorum exercent. Solus coquus cum uxore et infantibus suis et domestica coquinea habitat in domo contigua. Vita omnium fratrum et aliorum domesticorum undequaque est exemplaris.

21. Ordinarius a Sancta Sede instructus est facultatibus, quae sequuntur:

- e S. Congregatione Ritus: - facultas benedicendi campanas per breviorem formam Ritualis Romani, non excepta ipsa aquae benedictione, de die 28 Maii 1913 a., ad quinquennium, v. 376 (forma benedictionis apposita, approbata 22 I 1908);

- e S. Congregatione Ritus: - subdelegandi presbyteros ad consecranda per Instructionem adiectam altaria fixa et portatilia exsecreta, de die 28 Maii 1913 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione Ritus: - delegandi Vicarium Generalem vel usum Pontificalium habentem Praelatum aut Praepositum ad consecrationem patenarum vel calicum, de die 28 Maii 1913 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione S. Concilii: - transferendi onera Missalia ad alias dies, ecclesias et altaria alia intra archidioecesim, de die 22 Maii 1913 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione Ritus: - delegandi sacerdotes ad benedictionem omnium quorumcumque, ad divinum cultum spectantium, in quibus S. Unctio non adhibetur, die 28 Maii 1913 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione Ritus: - delegandi sacerdotes in dignitate eccl. constituti ad reconciliationem ecclesiarum et coemeteriorum, quae consecrationem ob aliquem defectum amiserint, de die 28 Maii 1913 a., ad quinquennium;

- e S. Indicis Congregatione: - concedendi archidioecesanis licentiam legendi retinendique libros prohibitos, de die 23 Maii 1913 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione Concilii: - absolvendi super omissis oneribus Missarum et reducendi onera Missarum, e legatis celebrandarum, ad rationem eleemosynae synodalis, de die 22 Maii 1913 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione de Religiosis: - dispensandi cum Monialibus regulae S. Benedicti a continua adoratione SS. Sacramenti conventus Varsaviensis super stricta observantia perpetui ieunii, salva remanente obligatione iejunandi in Adventu, Quadragesima, omnibus Feriis quartis et sextis, sabbatis, diebus Quattuor Temporum necnon in vigiliis B. Mariae V., Sanctorum Apostolorum, Omnium Sanctorum et Patronorum Ordinis, de die 7 Maii 1914 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione Consistoriali: - facultates sub forma III, quae antea a S. Congreg. de Propaganda Fide concedebantur, de die 26 Maii 1915 a., ad triennium;

- e S. Congregatione de Sacramentis: - dispensandi pro casibus urgentibus, in quibus non suppetat tempus reccurrenti ad Sanctam Sedem, super quibuscumque impedimentis matrimonialibus iuris dumtaxat ecclesiastici et in quibus Sancta Sedes dispensare consuevit, de die 19 Decembris 1914 a., ad annum, quae Gratia specialis e S. Congregatione de Sacramentis prorogata erat die 24 Februarii 1916 a., pro belli durante tempore;

- e S. Congregatione Poenitentiaria: - quinquennales, de die 23 Martii 1916 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis Praeposita: - ut Administratores Apostolici et Vicarii Capitulares, si charactere episcopali non praefulgeant, durante munere, habeant privilegium utendi habitu et insignibus etiam pontificalibus, prout utuntur Protonotarii Apostolici Supernumerarii iidemque fruantur facultatibus benedicendi ecclesias, consecrandi altaria, portatilia et calices, conferendi Sacr. Confirmationis, Ordines Minores et Subdiaconatum et conficiendi Sacra Olea; ut Vicarii Generales - duo pro Archidioecesi, unus pro quavis Dioecesi, si non sunt ordinis episcopalis, fruantur iisdem, ut supra, facultatibus et privilegiis, excepta facultate conferendi Ordines minores et Subdiaconatum et conficiendi Olea Sacra, nisi agatur de iis Vicariis Generalibus, qui dioeceses regunt, a quibus Episcopi absint, de die 21 Maii 1916 a., pro tempore belli et per tres menses ab inita pace (similis Ordinariis dioecesum: Sejnensis, Ianoviensis, Kielcensis, Vladislaviensis, Lublinensis, Plocensis, Sandomiriensis, Samogitiensis et Vilnensis, tributa);

- e Secretaria S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis Praeposita: - Archiepiscopo Varsaviensi et aliis Ordinariis recensitarum prorogantur facultates triennales, quinquennales aliaeque gratiae speciassimae, sive interni sive externi fori, quibus iam pridem uti solebant, de die 21 Martii 1918 a., pro tempore belli et per tres menses ab inita pace;

- e Secretaria S. Congregationis Negotiis Ecclesiae Extraordinariis Praeposita: - iudicandi (Curiae Episcopali Lublinensi concessum) in II instantia causas matrimoniales aliasque causas ecclesiasticas iam iudicatas a Curia Archiepiscopali Varsaviensi Episcopo Vladislaviensi, pro tempore dum perseverabunt difficultates occupationis Austriacae;

- e S. Congregatione Concilii: - adscribendi per sacerdotes sibi benevisos fideles Christi omnibus Archiconfraternitatibus et Confraternitatibus ab Ecclesia approbatis, etsi ecclesiis Religiosorum reservatis (exceptis locis, ubi adsunt Religiosi ex privilegio sui ordinis eiusmodi facultate gaudentes nec non excepta Confraternitate ss. Rosarii), de die 28 Martii 1916 a., ad decennium;

- e Sectione de Indulgentiis S. Congregationis: - imponendi per se vel delegatos super ss. Rosaria indulgentias pp. Dominicanorum et Crucigerorum, de die 25 Ianuarii 1917 a., ad triennium;
- e S. Congregatione Officii: - facultas dispensandi super impedimento mixtae religionis, die 17 Iulii 1913 a., ad quinquennium;
- e S. Congregatione de disciplina Sacramentorum: - facultas dispensandi super impedimento consanguinitatis in primo secundo lineae collateralis gradu pro decem casibus urgentibus, die 15 Iulii 1913 a.;
- e S. Congregatione disciplina Sacramentorum: - facultas admittendi ad iuramentum suppletorium milites et vagos (in casibus necessitatis tantum) ad ineundum matrimonium, de die 5 Iulii 1913 a., ad quinquennium;
- e S. Congregatione de Sacramentis: - facultas convalidandi litteras dispensationum matrimonialium ob noviter detectum impedimentum, die 15 Iulii 1913 a., ad quinquennium;
- e S. Congregatione S. Concilii: - facultas dispensandi parochos ab onere applicandi missam pro populo diebus festis suppressis, die 15 Iulii 1913 a., ad decennium cum conditione convertendi eleemosynas Missarum in pias causas;
- e S. Congregatione Concilii: - facultas accipiendo stipendia pro binatione in favorem Seminarii, die 15 Iulii 1913 a., ad quinquennium;
- e S. Congregatione S. Concilii: - facultas commutandi obligationem relicitandi divinum officium, die 15 Iulii 1913 a., ad quinquennium;
- e S. Congregatione S. Concilii: - facultas reductionis oneris applicationis missae pro populo ad 12 pro officialibus curiae et professoribus Seminarii, die 15 Iulii 1913 a., ad quinquennium;
- e S. Congregatione SS. Rituum: - facultas celebrandi Missas de Requie cum cantu in singulis Ecclesiis non parochialibus, die 15 Iulii 1913 a., ad decennium;
- e S. Congregatione SS. Rituum: - facultas imponendi quinque Scapularia (SS. Trinitatis, Passionis DNJC., Beatae VM sub titulo Immac. Concept., Dolorum et Montis Carmeli) etiam cum unica formula, etiam subdelegandi, die 15 Iulii 1913 a., ad quinquennium;
- e S. Congregatione de disciplina Sacramentorum: - facultas asservandi SS. Sacramenti in capella, archiepiscopali durante munere, dummodo Missa absolvatur bis in hebdomada;
- e S. Congregatione de disciplina Sacramentorum: - de titulo servitii dioecesis ad quinquennium, a die 17 Iulii 1913 a.;
- e S. Congregatione Sancti Officii: - sanandi in radice matrimonia mixtae religionis, de die 17 Iulii 1913 a., pro 50 casibus;
- e S. Congregatione de disciplina Sacramentorum: - facultas sanandi in radice matrimonia, de die 16 Iulii 1913 a., ad quinquennium;

- e S. [Congregatione] Poenitentiaria: - facultas dispensandi super impedimento occulto criminis cum machinatione necis, de die 9 Decembris 1907 a., ad 10 casus;

- e S. Congregatione Concilii: - facultas erigendi confraternitates, de die 22 Aprilis 1917 a., ad septennium;

- e S. Congregatione de disciplina Sacramentorum: - ab impedimentis cumulative dispensandi gratia, de die 10 Aprilis 1913 a., ad quinquennium;

- e S. Congregatione de disciplina Sacramentorum: - facultas dispensandi diaconos a defectu 18 mensium aetatis ad sacrum presbyteratus ordinem promovendos, de die 23 Maii 1913 a., pro 20 casibus;

- e S. [Congregatione] Poenitentiaria: - dispensandi super privato voto castitatis perpetuae in foro interno pro 30 casibus, de die 26 Aprilis 1911 a.;

22. Tempore quinquennii per tres menses extra locum residentiae archiepiscopus abfuit, nisi excipientur visitationes canonicae, de quibus infra.

23. Archiepiscopus celebrat celebrioribus festis pontificaliter in templo cathedrali iuxta praescriptum Ceremonialis Episcoporum. In aliis ecclesiis peragit pontificalia tempore visitationis dioecesis et saepius in variis ecclesiis urbis Varsoviae ratione maioris concursus populi. Diebus dominicis Missam dicit in ecclesia cathedrali, post quam fidelibus Sacramentum Confirmationis administrat.

24. In ecclesia cathedrali bis in anno archiepiscopus concionem ad populum personaliter habet, tempore visitationis, in quavis ecclesia ter, quater aut quinques personaliter praedicat Verbum Divinum et tempore administrationis sacramenti confirmationis adhortatur confirmandos vel confirmatos, praeterea ad clerum et populum fere bis in anno dantur litterae personales, publicatae e suggestu.

25. Casus reservati in archidioecesi erant tantum illi quatuor, qui de iure communi Ordinario reservabantur, videlicet tres casus ad mentem constitutionis "Apostolicae Sedis" et unus ad mentem decreti "Ut debita" de die 11 Maii 1904 a.⁵⁴ Inde ab introductione novi Codicis Iuris Canonici ii tantum casus reservantur qui a sacris canonibus penes Ordinarios reservati designantur. Facultatem absolvendi ab his casibus, quotannis renovandam, concedo Decanis, parochis, rectoribus ecclesiarum et vicariis praesertim parochiarum urbis et maiorum parochiarum in archidioecesi.

26. A die ingressus h. e. 14 Septembris 1913 a. in visitatione dioecesis et diebus dominicis in cathedrali ecclesia necnon variis in circumstantiis archiepiscopus confirmavit 172 378 fideles. Praeterea archiepiscopus auxiliaris Casimirus Ruszkiewicz confirmat fideles omni die dominica et tempore visitationis canonicae et confirmavit ultimo quinquennio 28 143 fideles. Alter episcopus auxiliaris Stanislaus Gall mense Novembri 1918 anni consecratus est, ad confirmandos fideles est in promptu.

⁵⁴ "Ut debita" - decretum de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione, ASS, 36(1903-1904), p. 672-676.

In sacramenti confirmationis administratione regulae de aetate et parentinis confirmandorum servantur.

27. Ipse archiepiscopus sacras ordinationes saepius habebat, primam tonsuram contulit 87 personis, ad ordines minores promovit 94 clericos, subdiaconos ordinavit 29, diaconos 37, presbyteros 42, episcopos consecravit 5.

Praeterea archiepiscopus auxiliaris Casimirus Ruszkiewicz ultimo quinquennio primam tonsuram contulit 23 personis, ad ordines minores promovit 25 clericos, subdiaconos ordinavit 40, diaconos 71, presbyteros 63.

Numerus sacerdotum in archidioecesi usque huc non sufficit ad omnes functiones et universas necessitates fidelium adimplendas.

28. Archiepiscopus per se et per vicarios generales et alios praelatos legitime a se deputatos, omnes parochias et ecclesias in archidioecesi ultimo quinquennio visitavit.

Visitatio canonica facta est iuxta praescriptum Pontificalis Romani. Praeter mores populi, puerorum et adolescentium inspiciebatur in institutionem religiosam, legatorum satisfactionem et alia: praeter moralem et materialem statum ecclesiae non praetermissa est visitatio cleri quae personalis dicitur, videlicet: 1) instituebantur generales totius cleri decanalis conferentiae cum visitatione canonica, in quibus agebatur de bono spirituali et temporali communi, 2) singularibus seu personalibus colloquiis institutis, indagatio fiebat, utrum sacerdotes breviarum recitent, meditationi sacrae vident, visitationem quotidianam Sanctissimi peragant, lectionem spiritualem foveant, rosarium saltem aliquando recitent et caetera iuxta "Exhortationem ad Clerum" Pii Papae X perficiant. "Exhortationem" praedictam sermone polonico imprimi feci et ad omnes clericos archidiocesis transmitti curavi.

29. Curavit quoque archiepiscopus, ut leges Sanctae Sedis et decreta Curiae Romanae publicarentur in ephaemeridibus diocesanis ("Wiadomości Archidiecezjalne Warszawskie"), quae inde ab anno 1911 quovis mense eduntur. Ut autem cleris novi Codicis Iuris Canonici notitiam exactam percipiat, conferentiae peculiares a selectis sacerdotibus, in iure canonico et theologia versatis, peragebantur, quae deinde in memoratis ephaemeridibus publici iuris factae sunt.

30. Archiepiscopus non celebravit synodum dioecesanam, perturbatis temporibus impeditus. Tempestive autem bis aut ter, quandoque quater in anno convocantur decani et alii sacerdotes ad deliberandum in congressu de rebus ecclesiasticis. Ibidem pluries in anno convocantur parochi et rectores urbis Varsaviae ad conferentias de iisdem rebus; saepius vero conventus instituitur sacerdotum, qui doctrinam religionis in scholis tradunt; quandoque etiam conventus capellanorum hospitalium; vicariorum parochiarum Varsaviensium; rectorum domorum religiosarum, prout adiuncta suadent, coadunantur.

31. Concilium provinciale archiepiscopus non celebravit, loco concilii provincialis tempore quinquenii octo conferentias episcoporum coegi. Quae communis consilio in conferentiis statuta sunt, iam Sanctae Sedi communica sunt⁵⁵.

32. Relationes Archiepiscopi cum potestate civili tribus epochis concludi possunt: 1) Cum gubernio Russico ante bellum et tempore belli; 2) Cum protestatibus occupantibus Germanorum territorium Poloniae intra bellum; 3) neconon cum gubernio polonico, quod ultimis tantum temporibus efformari coepit.

1) Gubernium Russicum studuit omnibus modis Ecclesiam Catholicam suppressimere, quapropter continuo edebantur leges et innumera fere praescripta (litterae circulares), quibus iura Ecclesiae laedebantur et vitae religiosae evolvendae impedimenta struebantur.

Annis 1905-1906 post bellum Iaponensium cum Russis motus revolutionarii coegerunt quidem Gubernium Russicum ad edictum de tolerantia religiosa proclamandum, et parlamentum ("Duma") Petropoli instituendum. Nihilominus authocraticum Gubernium omnia adhibebat media, ut rei status anterior servaretur. Quae cum ita sese haberent brevi post archidioecesis moderamen pastorale susceptum, exhibui Gubernio Russico amplissimum memoriale, quo indicavi omnes leges Ecclesiae iniuriosas et bono rei publicae pariter adversas, una cum precibus ut predictae leges abrogentur aut saltem mutentur. Qua in re adii quasdam personas officiales sublimiores, erga "memoriale" bene dispositas, ut copta mea felicem exitum nanciscantur. Attamen res protracta est.

Exarsit atrocissimum hoc bellum, in territorio archidioecesis pugnae una cum devastatione per duos annos non cessabant. Copiae Russorum et terram devastabant et ecclesias incendio suppressimabant. Cum litteris validissimis et fertibus adii supremum ducem copiarum Russicarum, magnum ducem Nicolaum Nicolai (Nicolajevitsch)⁵⁶, quibus notificavi a militibus vastari illas regiones et ecclesias ibidem dirui, quod quidem necessitate bellorum minime explicari potest. Supremus dux saltem ex parte acquievit meis postulationibus, gladii bellici furor mitigatus erat.

2) A mense Novembri 1914 a. usque ad mensem Augustum 1915 a. archidioecesis in duas partes dissecta erat inter occupationem Germanorum et stationem Russorum. Dimidia pars archidioecesis, ab exercitu Germanorum occupata, decisione Sanctae Sedis Episcopo Cuiavo-Calissensi, qua administratori apostolico commissa erat, qui per specialem Vicarium Generalem in oppido Łódź curam pastoralem ibidem exercebat⁵⁷.

⁵⁵ Cfr. Hospes [epus Antonius Julianus Nowowiejski], *Konferencje Episkopatu metropolii warszawskiej 1906-1918. Kartka z dziejów Kościoła* [Conferentiae episcopatus metropoleos Varsaviensis 1906-1918. Pagina historiae ecclesiasticae], Ateneum Kapitańskie 20(1927), p. 109-126, 221-241.

⁵⁶ Nicolaus Nicolaides Romanov (Nicolaj Nicolajevič), cfr. ANP LVII/1, notam 450, p. 203.

⁵⁷ Munere vicarii generalis postea fungebatur posterior epus Podlachiensis, sac. Henricus Przeździecki.

Post discessum ex archidioecesi Russorum, copiae Germanorum integrum eiusdem archidioecesis territorium occupaverunt. Potestates occupantium volebant omnia erga res ecclesiasticas iura sibi vindicare; quae hucusque a Gubernio Russico exercebantur. Tunc hisce potestatibus aperte declaravi potestatis civilis Russorum, in res ecclesiasticas iura quaedam admissa fuisse ex conventia Sanctae Sedis, quod concordatis inter Sedem Apostolicam et Imperiale Regimen Russicum moderatum erat; aliunde a Russis multa iura usurpata fuisse, quae sibi arrogare dedecet statum de cultura sua sociali persuasum. Inde potestates occupantes Germanorum e proposito suo cesserunt, et in res administrationis ecclesiasticae sese non ingerebant. Cum autem de vita monastica promovenda invitandisque regularibus ex aliis Poloniae ditionibus sermo esset, potestates Germanicae haud exigua impedimenta hac in re struebant. Interea Germanis molestissimae requisições peragebantur, campanae sacrae, tecta ecclesiarum e metallo conflata, partes metallicae organorum sequestrabantur. Contra abusus hos saepius protestatus sum, iterum atque iterum reclamavi, sed in vanum. Militari manu rebus praeditis spoliati sumus.

3) Inde a d. 5 Novembris 1916 a. gubernium polonicum efformari coepit. Mense Novembri 1917 a. Consilium Regentium est institutum cum archiepiscopo Varsaviensi - praeside eiusdem Consilii. Invigilavi strenue, ne leges Ecclesiae adversae proponerentur, imo studui, ut ordinatio rei publicae vitae religiosae favens promoveretur⁵⁸. In Ministerio confessionum religiosarum et instructionis publicae res, quae confessiones religiosas in universum spectant, commissae sunt viro religioni catholicae omnino addicto; res autem, quae religionem catholicam spectant, moderationi episcopi titularis Adolpho Szelążek concreditae sunt. Quapropter etiam abdicatione Consilii Regentium mense Novembri 1918 a. facta satis provisum est, ne gubernium novum provisorium iura Ecclesiae laederet. Ceterum, de ordine publico stabiliendo usque ad finem 1918 a. res agitur.

Caput IV. De curia dioecesana

33. Curia archidioecesana constat tribus Vicariis Generalibus, quorum primus archiepiscopus titularis Casimirus Ruszkiewicz, S. Theologie Doctor, venerandus senex a triginta annis hoc munere fungitur, post mortem antecessoris nostri p. m. Vincentii Popiel⁵⁹ vicarius capitularis electus erat, in iuribus ecclesiae tuendis multa a gubernio Russico perpessus est, quam tum a clero tum a populo singulare amore et veneratione prosequitur, alter Vi-

⁵⁸ Cfr. I. Wysocki, *Arcybiskup Aleksander Kakowski i Rada Regencyjna* [Aepus A. Kakowski et Consilium Regentium], Przegląd Katolicki, 73(1985) nr 45, p. 1, 5; Z. I. Winnicki, *Rada Regencyjna Królestwa Polskiego i jej organy (1917-1918)* [Consilium Regentium Regni Poloniae eiusque organa (1917-1918)], Warszawa 1991.

⁵⁹ Aepus Vincentius Theophilus Chościak-Popiel, cfr. ANP LVII/1, notam 337, p. 169-170.

carius Generalis electus est Stanislaus Gall, S. Teologiae Licentiatus et Philosophiae Doctor, episcopus auxiliaris, peritissimus rector Seminarii Archidioecesani; tertius Vicarius Generalis electus est Leopoldus Łyszkowski, Suae Sanctitatis Cubicularius Intimus, praelatus Capituli Metropolitani, qui in Curia ultra triginta quinque annos assidue laborat et in negotiis ecclesiasticis bene versatus est. Insuper quinque consiliarii, suppetias in Curia ferunt. Cancellarium idoneum et diligentissimum pariter elegi, cui praesto sunt quinque notarii, e quorum gremio aerarius, archivarius deputati sunt. Omnes isti viri sacerdotes sunt et moribus integris et peritia commendati. Cursor Curiae vir laicus homo probus et pius est.

34. Examinatores prosynodales - 5; parochi consultores - 3 et Iudices prosynodales - 6 ad mentem SS. Canonum ad primam synodus dioecesanam celebrandam, secus vero ad d. 1 Maii 1923 a. a me sunt designati.

35. Tribunal ecclesiasticum pariter ad mentem sacrorum canonum constitui, quod quidem ab introductione novi Codicis Canonici officiali, duobus vice-officialibus, 6 Iudicibus prosynodalibus, duobus notariis et defensore indissolubilitatis vinculi matrimonialis ac promotore iustitiae, constat. Cursor iudicii vir laicus homo probus et pius est. Officialem deputavi archiepiscopum titularem Casimirum Ruszkiewicz, primum vicarium generalem, qui inde a triginta annis hoc munere fungitur, itaque aegre ferret venerandus senex, si cedere coactus esset. Exceptionis itaque causa aequum duxi munus hoc committere archiepiscopo Ruszkiewicz, insimul vicario generali, cuius vices supplent duo habiles et versati in negotiis iudicialibus vice-officiales.

Tribunal hoc simul iudicium II instantiae pro causis iudicialibus totius provinciae Varsaviensis constituit.

Insuper et peculiari privilegio Apostolico de die 20 Iulii 1918 a. N° 68747 ab Ill.mo ac Rev.mo Visitatore Apostolico in Polonia d. 3 Augusti 1918 a. N° 76⁶⁰ mihi communicato ad tempus belli et duobus mensibus post pacem initam Tribunal delegatum Apostolicum tertiae et ultimae instantiae ad dirimendas causas matrimoniales totius provinciae ecclesiasticae Varsaviensis constitutum est; praeside archiepiscopo qua iudice delegato apostolico; duobus iudicibus assessoribus, notario et defensore indissolubilitatis vinculi matrimonialis. Cursor tribunalis homo laicus pius ac probus est designatus.

Ad succurrendum inopiae dissitorum ab urbe archiepiscopali fidelium, quibus nonnisi magnis expensis consumptis adventus Varsaviam patet, designavi in oppido Łódź ad adimplendas peculiares actiones iudiciales unum e iudicibus prasynodalibus in op. Łódź residentem, cui designavi notarium et defensorem vinculi matrimonialis ac promotorem iustitiae idoneos e clero eiusdem civitatis.

36. Curia archidioecesana aedes convenienter instructas in palatio archiepiscopali habet cum tabulario, in quo pars secreta documentorum tuto

⁶⁰ Cfr. ANP LVII/2, N. 103, p. 12-13.

ac seorsim ab aliis documentis custoditur. Archivum, recenter bene ordinatum, constat duabus sectionibus: a) historica et b) recentiori; in sectione historica asservantur acta et documenta quaedam inde a XV saeculo incipiendo, a habili et versato in his rebus archivario ordinata et descripta; in sectione vero recentiori, acta currentia ordine alphabetico et reali digesta asservantur.

37. Taxa, quae in usu est pro actis Curiae rependendis, minima quidem habetur; minor, quam in aliis dioecesibus provinciae ecclesiasticae Varsaviensis, tempore belli fere omnia documenta pauperioribus incolis gratis extrebandantur.

38. Ob Curiae taxes minimas nunquam quaerelae aderant. Taxae vero spontanea oblatione solvuntur.

39. A gubernio Russico pro omnibus expensis Curiae assignata est summa 6622 rublorum 59 copecarum, quae ter in anno erogabatur. Summa haec omnino insufficiens dicenda est.

Caput V. De clero generatim

40. Clerus archidioecesanus in universum morigerus est; zelum cleri acuit necessitas defendendi doctrinam catholicam et populum fidelem adversus aggressiones schismaticorum et haereticorum, praecipue sectae "mariavitiae". Qua occasione manifestabatur mentis plena adhaesio et fidelitas Sanctissimo Patri et oboedientia Ordinario.

Perpauci casus incontinentiae et indifferentismi pastoralis graviter ab Ordinario vituperati regulam generalem non debilitant.

Sacerdotes inter se concordes sunt et mutua caritate sese prosequuntur. Signum coniunctionis inter eos est:

1) associatio, quae dicitur Domus cleri (Dom księży) anno 1918 fundata, in palatio archiepiscopali domicilium habens, ubi sacerdotes ad deliberandum de rebus communibus sub inspectione Ordinarii convenire aut colloquio mutuo honeste se recreari solent;

2) societas mutui auxilii praestandi sacerdotibus archidioecesanis ab ordinario approbata;

3) Unio Apostolica, praecipue mutui auxilii spiritualis gratia fundata. Omnes predictae societates coniunctionem, concordiam et caritatem, me moderatore, sublevant et adiuvant.

41. Vestis talaris ab omni clero gestatur.

42. In Missae celebratione sacerdotes praeparationem et gratiarum actionem peragunt; serotinae visitationi SS. Sacramenti multi assueti sunt; ad poenitentiae sacramentum alii quavis hebdomada, alii secunda hebdomada accedere solent. Si qui frigidiores aut negligentes sacerdotes reperiantur, a me, praesertim in visitatione canonica, admonentur hortanturque.

43. Clerus ad spiritualia exercitia invitatur bis aut ter in anno in aedibus seminarii peragendas, ita ut circa 100 personae his communibus exercitationibus vacent; reliqui alii aut in aedibus seminarii aut singulares apud probos sacerdotes spirituales exercitationes quovis anno absolvunt, cuius absolutionis et absolutae confessionis testimonium transmittitur eo fine, ut prorogationem approbationis ad excipiendas confessiones omnes sacerdotes accipient.

Sacerdotibus invitatis ad communes exercitationes peragendas Ordinarius personaliter oportunas admonitiones et adhortationes dabat sive initio, sive in conclusione exercitationum spiritualium convenienti allocutione ad eos habita. Anno currenti id favorabiliter et utiliter praestit loco Ordinarii Visitator Apostolicus Excellentissimus Dominus Achilles Ratti.

44. Fere omnes sacerdotes Varsaviae munere catechetae funguntur et semel in mense conferentiae de quaestionibus moralibus et theologicis et paedagogiam spectantibus in aedibus Curiae archidioecesanae, praeside Ordinario vel Episcopo auxiliari instituuntur. Exposito themate ab uno doctiore proponuntur practicae quaestiones et absolvuntur. Conferentiae decanales tempore belli propter impedimenta commeatus in nonnullis decanatibus absolvi non potuerunt. Ubique conferentiae fiunt magno cum fructu.

45. Omnes neopresbyteri per tres annos coram professoribus Seminarii stricto examini subiiciuntur ex cursu, qui in Seminario respectivo anno ex omnibus disciplinis theologicis traditur. Qui notas insufficientes receperint denuo examini subiiciuntur vel quarto aut quinto etiam anno ad examen vocantur.

Peractis tribus his examinibus cum notis sufficientibus demum ad examen ad beneficia curata, quod qualificativum dicitur, admittuntur.

Iuniores sacerdotes, qui maiori cura spirituali indigent, directioni parochorum piorum et exemplarium committuntur.

Varsaviae semel in mense pro sacerdotibus in capella Infantis Jesu sub directione Clericorum Regularium ab Immaculata Conceptione seu Marianorum adoratio communis Sanctissimi expositi perficitur et sermo conveniens virtutis sacerdotalis promovendae causa pronunciatur.

46. Pro sacerdotibus emeritis designavi ecclesiam B. M. Lauretanae in suburbio Praga una cum aedibus adiacentibus. Propter belli eventus coepit hoc ad exitum perducere nequivi. Cura vero art. 40 supra memoratae "Societatis mutui auxilii praestandi" est, ut domus haec quantocius opportune adaptari et investiri queat. Quam ob causam Archiepiscopus personali actione impetravit ab Antonio Marmo⁶¹, canonico cathedrali, ut domum suam privatam in proprietatem praedictae "Societatis" cedat, quod et fac-

⁶¹ Sac. Antonius Marmo (1840-1921), presbyteratus ordinem accepit a. 1863. Ab a. 1870 laborabat tamquam vicarius in paroecia Varsaviensibus. Ab a. 1902 functus est munere rectoris ecclesiae s. Hyacinthi. A. 1915 adeptus est dignitatem canonici Capituli Metropolitani Varsaviensis.

tum fuit. Interim sacerdotibus indigentibus a laudata societate subsidia pecunaria suppeditantur.

47. Magna sacerdotum penuria est, omnes, nisi excipientur casus art. 49 enumerati, sive in parochiis, sive in scholis impense laborant.

48. Sacerdotes archidioecesis in actione sociali et politica cum scitu tamen et consensu Ordinarii partem habent. Vetitum vero est sacerdotibus ordinatione generali dioecesana factionibus politicis nomen dare sine expressa et speciali licentia Ordinarii. Ordinarius vero admittit pro singulis factionibus politicis honestis unum alterumve sacerdotem, ut notitiam rerum ibidem gestarum percipere possit et tali pacto vim pacificam in easdem factiones exercere valeat. Continuo inculcatur sacerdotibus, eorum esse, "omnibus - Christi exemplo - omnia" praestare ad salutem aeternam animarum, quare sacerdotes non factionibus sed omnibus fidelibus servire debent. Nulli abusus ultimo quinquennio hac in re deprehensi sunt.

49. Ultimo quinquennio duo infelices sacerdotes, apostasia a fide et statu clericali facta, matrimonium coram ministro acatholico contrahere clam attentarunt. Scandalum, ob urbis numerosissimum populum, non percellebat omnes fideles. In universum fideles, in quantum rem sciant, adverso animo feruntur in delinquentes, qui puniti canonice suam conditionem occultare student. Quatuor etiam sacerdotes ob vitam dishonestam erant, attamen a malo resipisci statuerunt, neque ullum scandalum restat. Neque pariter ulla in clero deprehenditur violatio legis de observandis et vitandis in satisfactione missarum manualium, pariter cavent sacerdotes a libris et a diariis irreligiosis et impiis legendis. Gravi et legitima causa intercedente, praedicta scripta nonnisi obtenta debita licentia a clero leguntur.

50. Ad lapsorum sacerdotum salutarem correctionem media privata cautete adhibebantur, ne ex facti divulgatione scandalum augeretur.

Remedium suspensionis ex informata conscientia semel in actu visitationis canonicae in sacerdotem iuniorem, vicarium ecclesiae parochialis ob incontinentiam, adhibitum est, delinquens ad meliorem frugem revocatus, poenitentia, salutari eidem imposita adimpleta, istam in melius mutavit.

51. In genere clerus ex annuo salario, et eleemosynis Missarum et occasione ministerii spiritualis oblatis pecuniis aut ex salario catechetae habebat congruam sustentationem. Sed tertio vel quarto anno atrocissimi belli multi sacerdotes parochiales, praesertim in oppido Łódź, Varsaviae et in parochiis, ad ripam Bzura et Rawka sitis, revera indigentes ne dicam pauperes facti sunt, propterea quod valor pecuniae immoderate imminutus est et incolae horum locorum ad paupertatem reducti sunt. Eapropter sacerdotes una cum populo propter belli calamitates vitam modestissimam ducunt. Eo vel magis quod ex modicis proventibus indigentiis pauperum et fame perreuntium sacerdotes hi, quantum potuerunt, subvenerunt.

De augendo salario annuo sacerdotum, ordine publico stabilito, actio iam inchoata est.

Caput VI.
De capitulis

52. Capitulum metropolitanum Varsaviense constat quatuor praelatis et octo canonicis. Unus ex praelatis scholasticus seu theologus appellatur, unus ex canonicis poenitentiarii officio fungitur.

53. Omnia praelatorum et canonicorum provisio libere exercetur per archiepiscopum, excepto uno ex canonicis, cuius presentationis ius vindicare sibi vult capitulum nempe canonici concionatoris, quaeque res adhuc in suspenso est.

54. Omnia bona capituli a gubernio Russico anno 1864, prout art. 18 significavi sequestrata sunt. Ultimo tantum anno quatuor domos suas capitulum recuperavit, sed tantum in administrationem capituli redditas. Domus hae parvae vix sufficiunt pro habitatione octo membrorum capituli et nullum redditum dant.

Quatuor praelatis a Gubernio Russico annum salarium, 600 rubelorum singulis, assignatum erat; quatuor canonicis ab eodem gubernio, singulis 400 rubelorum quotannis, solvebatur; quatuor vero aliis canonicis licet de gremio capituli sint et omnibus iuribus canonicorum gremialium gaudeant, nullum salarium a gubernio provisum erat.

Praeterea capitulum metropolitanum est parochus habitualis parochiae cathedralis S. Ioannis; parochi vero actualis huius parochiae munere funguntur 6 vicarii seu potius cooperatores, quorum quisque salario annuo 225 rubelorum a gubernio provisum erat.

Salarium annum parochi habitualis 600 rubelorum a Gubernio designatorum a capitulo convertitur in massam communem pro distributionibus quotidianis et stipendiis missae conventionalis.

Haec manca dotatio praelatorum, canonicorum et vicariorum ecclesiae cathedralis omnino insufficiens est ad honestam vitae sustentationem. Eapropter praelati et canonici ex alio fonte vitam sustentare coguntur. Idcirco alii eorum in curia archiediocesana laborant, alii munera parochialia Varsaviae vel extra Varsaviam obeunt. Cooperatores vero actuales parochiae ex proventibus parochialibus, quae iura stolae sunt, sese sustentant.

55. Capitulum habet antiquas constitutiones saepius et ultima vice a praedecessore hodierni archiepiscopi p. m. Vincentio Popiel approbatas⁶². Propter defectum tamen honestae sustentationis easdem servare nequit, nam unus tantum praelatus et duo canonici penes ecclesiam cathedralem resident, ceteri vero resident in locis, unde congruam sustentationem hau- riunt.

⁶² Cfr. W. Malej, *Kapituła Metropolitanna Warszawska za rządów arcybiskupa Wincentego Popiela* [Capitulum Metropolitanum Varsaviense sub regimine archiepisycopi Vincentii Popiell], WAW, 41(1953), p. 267-283, 362-376.

Brevi post ingressum in ecclesiam cathedralem, mense Septembri 1913 a., archiepiscopus mandavit capitulo, ut novae constitutiones a capitulo proponerentur, conditionibus materialibus, in quibus capitulum versatur, adaptatae, atque tales, ut revera servari possent, impetrata utique prius Sanctae Sedis approbatione. Propter bellum vicissitudines capitulum hucusque novas constitutiones archiepiscopo non proposuit, ideoque archiepiscopi mens est, bello finito, novas per se constitutiones pro capitulo conscribere easque approbandas Sanctae Sedi proponere.

56. Servitium chorale exercetur a capitulo tantum missa conventuali diebus dominicis, festivis et feriis V celebrata; ex horis canonicis tertia tantum vel nona ante missam conventualem et vesperae diebus dominicis et festivis a clericis seminarii praesente capitulo cantantur. Qua in re utitur indulto de d. 29 Martii a. 1890 contesso.

57. Praeter canonicos de gremio, de quibus supra art. 52 retuli, nulli alii sunt canonici honorarii. Aliquis sacerdotibus, doctrina, virtutibus eminentibus, praesertim decanis, praedecessor hodierni archiepiscopi ac ipse hodiernus archiepiscopus concessit usum mantoletti et rochettæ nigri tam coloris neconon annuli ad instar canonicorum cathedralium.

58. Cum capitulo non deficiat, collegium consultorum superfluum esset.

59. Canonici omnes magna aestimatione in dioecesi gaudent, inter se et cum Ordinario omnino sunt concordes, vitam omnino honestam agunt.

60. Semel in anno capitulo pro sessione generali una cum archiepiscopo convocatur nempe circa festum patroni capitulo, S. Ioannis Baptistae. In iis omnibus, in quibus ius canonicum consilium vel consensum capitulo expostulat, ordinarius in scriptis de consilio vel de consensu interrogat capitulo.

61. Sede vacante, capitulo libere procedere potest ad vicarii capitularis electionem.

62. Praeter capitulo cathedralē est quoque capitulo insignis collegiae in oppido Łowicz, tribus praelatis et quatuor canonicis constans. Propter sequestrationem bonorum omnium et proventuum capitulo collegiae a Gubernio Russico, unus tantum praelatus, qui simul est parochus parochiae ad ecclesiam collegiale pertinente, residet in Łowicz, ceteri alii munere parochorum per dioecesim funguntur, unde sustentationem necessariam et honestam percipiunt. Semel in anno ad festum Pentecostes omnes vel fere omnes in oppido Łowicz congregantur, ubi solemnitas 40 horarum celebratur. Eodem tempore sessionem generalem habent. Chorale servitium ibidem omnino cessavit⁶³. Omnes praelati et canonici vitam honestam ducunt, magna aestimatione apud clerum et populum gaudent.

⁶³ De eodem capitulo vide: J. Witeska, *Katalog prłatków i kanoników Prymasowskiej Kapituły Łowickiej od 1433 do 1970 r.* [Catalogus praelatorum canonicorumque Capituli Primatialis Lovicensis ab a. 1433 usque ad a. 1970], Warszawa 1971.

Caput VII.
De parochiis earumque rectoribus

63. Omnes paroeciae proprio pastore sunt provisae, nisi excipientur tres quarum parochi sunt unus consiliarius curiae et duo seminarii metropolitani professores, qui annum salarium, singuli 300 rubelorum percipiebant, sustentationis causa; ipsaeque parochiae ob exiguum numerum parochianorum prioprium curatum alere non possunt; curae animarum satis provisum est, quae a viciniori parocho, item parvam parochiam habente, ibidem exercetur; nullum exinde damnum, nec quaerelae parochianorum ullaee oriuntur. Item una parochia, pariter ob exiguum numerum parochianorum ad tempus vacat et a viciniori parocho curae animarum quidem satis provisum est.

64. Omnes sacerdotes, absoluto examine; quod qualificativum dicitur, parochi designantur adhibito consilio libera collatione archiepiscopi, qui prae oculis habet horum sacerdotum peritiam, vitae honestatem ac praeminentiam virtutum.

65. Usu venit, ut omnes parochi sint amovibiles, nisi excipientur quidam curati parochiarum, maiorum urbis Varsaviae. Hic status rei ex civili ordinatione a Gubernio Russico circa tres classes parochiarum inductus est. Archiepiscopus vero, cessantibus his impedimentis, in voto habet statum rei ad normam novi codicis corrigere.

66. Deerant in archidioecesi parochiae ordinibus seu congregationibus religiosis addictae, nam hucusque deerant etiam ordines et congregations a gubernio Russico non admissae. Speraturque fore, ut etiam circa curam animarum a religiosis exercendam alia ordinatio ecclesiastica edatur. Interea sacerdotes Congregationis Clericorum Regularium ab Immaculata Conceptione B. M. V. seu Marianorum curam animarum exercent in paroecia Bielany, art. 3 memorata; sacerdotes vero Congregationis Missionum S. Vincentii a Paulo cooperatores sunt parochi ecclesiae S. Crucis Varsaviae; in pago Łagiewniki sacerdotes ordinis S. Francisci conventionalium curam animarum exercent.

67. Una ecclesia cathedralis est simul quoque parochialis; ut retuli art. 54.

68. Una tantum ecclesia parochialis Visitationis B. Mariae Virginis Varsaviae est, cuius parochi praeresentationis ius a Capitulo metropolitano vindicatur. Sed res nondum est decisa.

69. Emolumenta, quae occasione administrationis sacramentorum, funerum, celebrationis Missarum solemnium, attestacionum, publicationum a parochis percipi solent, hucusque ab ordinario recognita non sunt, ne occasionem sese immiscendi Gubernio Russico praebarent. Belli tempore, quando valor pecuniae continuo vacillat id fieri non potest. In ultimis conferentiis episcoporum provinciae ecclesiasticae Varsaviensis statutum est, ut interea pauperioribus omnia gratis fiant, a ceteris moderata taxa exigatur, donec ab episcopis pro tota provincia taxa praescribatur.

Rari admodum casus sunt, ubi parochiani conquerebantur de nimia exaggeratione aut rigore exactiois emolumenterum a parochis; in duobus casibus quaerelae iustae erant et delinquentes parochi ab ordinario reprehensi sunt.

70. Praeter annum salarium, de quo art. 3 retuli, parochis extra Varsiam e bonis Ecclesiae, circa sex iugera terrae a Gubernio Russico relicta eram, unde parochi hauriunt emolumenta, omnino insufficientia ad honestam vitae sustentationem. Quare ex iuribus stolae et fidelium oblationibus voluntariis defectum sustentationis supplere coguntur.

Sex iugera terrae, de quibus supra, parochus ipse administrat.

Ad committendam alicui aliis locationem terrae ad tempus unius anni spatio maius requiritur licentia ordinariatus. In genere emolumenta ex omni fonte provenientia sufficiunt parochis ad vitae honestam sustentationem, nisi excipiantur parochi oppidani et parochiarum tempore belli vastatarum, qui vix ac ne vix quidem honeste sustentari possunt.

71. Omnes fere parochiae habent suas domus parochiales; paucissimi ad tempus in domibus pretio conductis degunt. Adiutores parochorum una cum illis habitant in eadem domo; in maioribus tantum parochiis domus separata sed propinqua pro adiutoribus curati designata est. De caetero archiepiscopus curat, ut in omnibus parochiis et vita et mensa communis parochi cum adiutoribus servetur.

72. Saepius in conferentiis cum parochis Varsaviae, et in, visitatione dioecesis ordinarius legem Ecclesiae de cohabitatione clericorum et mulierum omnibus sacerdotibus in mentem revocat, praesertim ne iuniores mulieres domum parochialem inhabitent vel frequentent. Decanis inculcatur continuo officium in huius legis observationem invigilandi. Semel uno sacerdoti ob huius legis infractionem ordinarius poenam suspensionis a divinis imposuit: aliis tribus suspensionem comminatus est, et delinquentes emendi sunt, abusus omnino cessaverunt.

73. In singulis parochiis existunt libri parochiales baptisatorum, copularum et mortuorum conscripti iuxta normas legis civilis, non alienas a lege ecclesiastica, nam parochi sunt officiales status civilis. Libri hi exarantur duabus exemplaribus, examinandis quotannis a decanis, unum exemplar in tabulario parochiali, alterum penes officium hypothecae iudicij civilis relativi districtus asservantur.

Tempore belli propter impossibilem commeatum adnotaciones de matrimonio contracto in libris baptisatorum fieri nequibant. In nonnullis paroeciis nequitia belli tabularia parochialia cum libris parochialibus incendio destructa sunt.

Libri confirmatorum desunt, libri status animarum habentur in parochiis in provincia, Varsaviae vero, in Łódź et in maioribus urbibus, ubi sunt parochiae numerosae et plebs saepe transmigrat ex una parochia in aliam, libri status animarum desunt.

Libri Missarum fundatarum et manualium habentur in omnibus parochiis, debite redacti et servati.

74. In singulis paroecii adest armarium cum omnibus libris parochialibus, sed divisio in duas partes publicam et secretam non servatur.

75. Residentia a parochis aliisque animarum curatoribus debite servatur.

76. Diebus dominicis et festis missa pro populo, quantum sciri potest, applicatur, sacraeque functiones ad diei festi sanctificationem propriae cum zelo et fructu celebrantur. In ecclesiis parochialibus post brevem Evangelii explicationem immediate instructio catechetica modo explicativo habetur pro adultis. Ubi plures sunt sacerdotes, praesertim in maioribus parochiis, ibi post quamvis Missam breves instructiones catecheticae vel explications Evangelii vel exhortatio ad populum maximo cum fructu in usu sunt, in iisdem parochiis quavis die dominica et festo cateschesis pueris et puellis post Missam aut ante vesperas explicatur.

Instructiones catecheticae pro pueris et puellis ter vel quater in hebdomada habentur a Paschate usque ad festum Sanctissimae Trinitatis, quo tempore Communio generalis in omnibus parochiis pueris et puellis distribuitur. Negligentia in his rebus notata non est.

77. In genere in audiendis confessionibus, Sacra Eucharistia distribuenda, infirmorum assistentia sacerdotes praesto sunt. Pauci casus negligentiae, de quibus notitia ad Curiam pervenit, graviter reprehensi sunt.

78. Matrimonia semper celebrantur in ecclesia; baptismus administratur pariter in ecclesia secundum Rituale Romanum, nisi excipiantur per pauci casus baptismi e speciali licentia ordinarii ob gravem et legitimam causam domi collati.

79. Desunt in archidioecesi sectis secretis notorie addictae personae. Qui vero extra Ecclesiam viventes sacramenta in extremis depositunt, professione fidei coram testibus facta sacramentis non privantur.

Haeretici et schismatici extra Ecclesiae sinum defuncti christiano more cum assistentia sacerdotis non sepeliuntur. Erant casus, cum ordinarius dabat licentiam sepeliendi defunctos haereticos vel schismaticos in coemeteriis catholicorum in sepulchro gentilicio, sed sepultura talis semper erat absque assistentia sacerdotis catholici necnon absque assistentia ministri acatholici. Tempore belli evenit saepius, ut morientes schismatici in hospitalibus militaribus petebant a sacerdote catholico sacramentum poenitentiae et extremae unctionis, quod ipsis libenter utpote conversis a sacerdotibus praestabatur.

80. Regula generalis servatur, quod infantes in urbibus maioribus circa octavum vel nonum aetatis annum, in provincia vero circa decimum annum vitae, doctrina catholica sat instructi, ad generalem infantium communio nem admittebantur; sed et pueri et pueliae confessionis et communionis valoris concii extra communionem generalem a sacra mensa non prohibentur,

nisi forsan a sacerdotibus aetatis provectioris, qui non satis mentem decreti p.m. Papae Pii X "Quam singulari" hac in re percipiunt, quamvis decretum hoc in aprobata ab ordinario versione polonica quotannis - Dominica in Alabis ex ambone fidelibus perlegatur⁶⁴.

81. Parochi in genere pro viribus curant fideles suos in fide roborare ad Sacrae Communionis frequentationem, praesertim in urbibus et oppidis excitare et in christianae vitae more et puritate continere. Hunc in finem, praeter consueta sui officii munera:

a) saepissime bis in anno occasione festi patroni ecclesiae vel parochiae, vel ratione indulgentiae concionatorem extraordinarium et confessarios advocare solent;

b) tempore quadragesimae in omnibus parochiis et in multis ecclesiis filialibus recollectiones more missionum instituuntur, in oppidis semper, in maioribus vero parochiis saepe recollectiones hae separatim pro viris, pro mulieribus, pro pueris, pro discipulis scholarum institui solent;

c) in omnibus parochiis et ecclesiis filialibus et pluribus capellis devotio mariana quotidie toto mense Maio cum expositione Sanctissimi, cantu litaniarum Beatae Mariae Virginis et concione aut saltem pia lectione in usu universalis est; toto mense Octobri rosarium, coram Sanctissimo exposito in iisdem ecclesiis quotidie mane vel vespere publice recitatur; tempore Quadragesimae, quae dicitur devotio Passionis Dominicae celebratur in omnibus ecclesiis semel in hebdomada ibique coram Sanctissimo exposito decantantur speciales cantici passionales lingua nationali et concio de Passione Domini habetur; toto mense Iunio ex ordinatione hodierni Archiepiscopi celebratur quotidie in omnibus ecclesiis devotio erga Sacratissimum Cor Jesu cum expositione Sanctissimi;

Varsaviae et in maioribus parochiis quotidiana devotio vespertina cum benedictione Sanctissimi fere in usu universalis est; in pluribus ecclesiis una in mense dominica publica peragitur adoratio Sanctissimi Sacramenti;

d) tempore dominationis Russorum omnis fere expansio consociationum catholicarum prohibita erat, nisi excipientur confraternitates ecclesiasticae, inter quas pariter prohibita fuit confraternitas Sacratissimi Cordis Jesu. Frequentes tamen erant et sunt circuli Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis, quindecim personis coadunatis, formatae;

e) Opera socialia catholicorum, pariter sub ditione Russica, aut prohibita erant, aut ipsis innumerae difficultates struebantur. Nihilominus etiam his in adjunctis id, quod fieri potuit, a parochis promovebatur.

⁶⁴ "Quam singulari": decretum de aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam. AAS, 2(1910) num. 15, p. 577-583.

Caput VIII.
Art. I. De Seminario dioecesano

82. Seminarium archidioecesanum in aedibus olim Ordinis PP Carmelitarum Discalceatorum, anno 1699 constructis, domicilium fixum inde ab anno 1867 habet. Cum autem aedes sat angustae essent pro usu Seminarii, anno 1904 huius temporis regens seminarii, modernus archiepiscopus, construxit domum tribus condignationibus constantem contiguam; anno 1916 regens hodiernus, episcopus Stanislaus Gall alteram splendidam domum pariter contiguam addidit.

In aedibus tali modo ampliatis 200 alumni, regens et 10 professores domicilium habere possunt. Aedes istae et disciplinaribus et hygienicis regulis respondent, a servitutibus liberae, horto et aula pro recreatione instructae sunt. 5 aulae praelectionibus habendis destinantur; seniores alumni bini, iuniores 4 vel 5, et in tribus amplioribus cubiculis 12 in unoquoque alumni habitant.

83. Reditus Seminaria sunt: 6 000 rubelorum, a Gubernio Russico quotannis singulis quatuor mensibus elapsis solvendorum, designati erant; ex locatione cubiculorum in parte externa aedium et horti quotannis percipitur 2 100 rubelorum; alumni solvunt taxam annuam in universum quotannis: 10 000 rubelorum, oblationes sacerdotum occasione emptionis calendarii dioecesani quotannis circa 5 000 rubelorum faciunt; ex oblationibus voluntariis seu stipendiis pro alumnis fundatis quotannis circa 7 000 rubelorum percipitur.

In universum quotannis percipitur circa 30 000 rubelorum.

Stipendia, supra memorata, pro alumnis fundata, percipiuntur, quae sequuntur:

2 - a Capitulo metropolitano fundata, quae quotannis summam 240 rubelorum constituunt, 1 - ab Archiconfraternitate Litteraria Immaculate Conceptionis BMV fundatum, quotannis summam 240 rubelorum facit; 6 - a variis personis stipendia seu oblationes quotannis summam 1 200 rubelorum constituent.

Tempore belli reditus isti diminuti sunt, eo quod stipendia quaedam a gubernio Russico una cum fisco imperiali in Russiam transportata erant, nec hucusque restituta sunt.

Alumni pro sustentatione solvunt quotannis: singuli I anno - 170 rubelos; II et III annis - 120 rubelos; IV anno - 60 rubelos; V et VI annis - nihil solvunt. Pauperiores gratis aluntur, expensas solvunt, absoluto cursu in seminario et accepto officio parochiali; pauperrimis insuper subvenitur quoad vestem, libros et alias indigentias.

84. Rector Seminaria est Stanislaus Gall, S. Theologiae Licentiatus et philosophiae Doctor, episcopus auxiliaris, vir 53 annorum, optime meritus de educatione cleri inde a 26 annis; in regimine adiuvant rectorem: vice-rector Georgius Gautier, Iuris Canonici Doctor, egregia indole et scientia excel-

lens; necnon praefectus alumnorum, Leo Kalinowski, S. Theologiae et Philosophiae Doctor. Omnes illi viri educati Romae, studia in universitate Gregoriana absolverunt; spiritu ecclesiastico et devotione erga Sanctam Sedem eminentes, optime muneri suo satisfaciunt; alumnos in disciplina et pietate egregie instituunt.

85. Magister pietatis, qui vulgo director spiritualis dicitur, in seminario degit et non est implicatus aliis officiis; praeter ipsum viri graves, pietate et prudentia insignes ex clero regulari et saeculari confessarii designati sunt.

86. Duo deputati pro disciplina et duo pro administratione bonorum Seminarii iuxta praescripta Novi Codicis Iuris Canonici, designati sunt, qui in supradictis negotiis opem ferunt ordinariam et quidem cum omni pietate et peritia.

87. Ex numero undecim magistrorum quinque in Seminario convivunt necnon director spiritualis et oeconomus ex sacerdotibus assumptus. Omnes viri idonei sunt, laurea academica decorati, pietate et vitae agendi ratione insignes, doctrinam solidam, puram, spiritui ecclesiastico convenientem trahunt, unde omni laude digni sunt.

88. Alumnorum numerus in praesentiarum 128 computatur; neque ullo sub praetextu inter eos admittuntur, qui ad statum ecclesiasticum certe non aspirent. Sex ex dioecesi Sejnensi in seminario educabantur, eo quod tempore belli a militibus expulsi et seminarium in Sejny clausum erat.

89. Unum est seminarium; omnes alumni sub eodem tecto vivunt, seniores cum iunioribus simul pacifice et pie convivunt.

90. Disciplina in seminario moderatur statutis ab ordinario approbatiss: statuta rite observantur; alumni ad confessionem quavis hebdomada accedunt; Communione sacra quotidiana reficiuntur; exercitia sacra bis in anno 10 diebus perficiunt: initio anni per 6 dies; prima hebdomada Quadragesimae per dies quatuor; insuper quovis mense una die exercitiis brevibus renovandi animi pii causa vacant, "Memento mori" pree oculis sibi ponentes.

91. Cursus seminarii sex annis absolvitur: duobus primis annis alumni disciplinis philosophicis; quatuor postremis - disciplinis theologicis operam dant.

Ad primum annum studiorum admittuntur alumni, absolutis sex classibus gymnasii publici; atque per duos annos supplent notitiam rerum humaniorum et ad studium doctrinae sacrae praeparantur: iisdem traduntur philosophicae disciplinae methodo scholastica lingua latina; insuper exercentur in litteris et lingua latina, graeca et rudimentis linguae hebraicae; in historia universalis et polonica; in scientiis naturalibus (summatim in scientiis biologicis, physicis et mathematicis); in historia biblica et catechismo ampliori dogmatico-moralis; in liturgica, sacris caeremoniis et cantu.

Alumnis cursus theologici traduntur lingua latina: - theologia dogmatica fundamentalis et specialis, theologia moralis, ius canonicum et liturgica sacra; lingua polonica: - introductio generalis, specialis et hermeneutica bib-

lica, exegesis librorum sacrorum Veteris et Novi Testamenti ex texto Vulgatae, archaeologia biblica, theologia pastoralis, ascetica et mystica, historia ecclesiastica, historia philosophiae, sociologia, patrologia et homiletica. Insuper in sacris caeremoniis et cantu omnes alumni continuo exercentur.

Praeter ordinarias praelectiones alumni in disputationibus scholasticis exercentur; homileticae practicae studia peragunt; praeceptis paedagogiae et didacticae instruuntur; alumni IV anni homilias SS. Patrum interpretantur sermone polonico, alumni V anni - homilias et VI anni - conciones per se ipsos conscribunt easque in refectorio exercitationis causa pronuntiant. Insuper alumni duorum postremorum annorum in ecclesia finali St. Joseph, ad seminarium adiacente, catechismum pueris et puellis, duce et vigile professore homileticae, tradunt.

Textum praelectionum constituunt manualia:

Reinstadler, *Elementa philosophiae scholasticae*⁶⁵;

Tanquerey, *Synopsis theologiae dogmaticae fundamentalis et specialis*⁶⁶;

Noldin, *Theologia Moralis*⁶⁷;

Aichner, *Compendium Iuris Canonici*⁶⁸;

de Herdt, *Sacrae Liturgiae Praxis*⁶⁹.

Alias disciplinas percipiunt iuxta manualia in lingua polonica exarata ut introductionis in *Sacram Scripturam compendia* a Dr. A. Szlagowski⁷⁰ exarata; archeologiae biblicae manuale ab A. Lipiński⁷¹ compositum⁷²; historiae ecclesiasticae compendium ab episcopo V. Krynicki exaratum⁷³; aliis utuntur compendiis arte litographica impressis et a professoribus concinnatis aut manualibus ab ordinario admissis.

92. Alumni a lectione librorum, qui quamvis innoxii in se, eos tamen a studiis distrahere possunt, omnino prohibentur; pariter observatur vetitum, ne diaria et editiones periodicas legant.

93. Archiepiscopus saepius seminarium visitat, examinibus omnibus interest, ad sessiones generales professores bis in anno invitat; insuper duo alumni quotidie archiepiscopo Missam celebranti in capella domestica assistunt atque tali pacto non modo in genere ab archiepiscopo cognoscuntur,

⁶⁵ Cfr. S. Reinstadler, *Elementa philosophiae scholasticae*, vol. I-II, Friburgi 1909⁴.

⁶⁶ Cfr. A. A. Tanquerey, *Synopsis theologiae dogmaticae fundamentalis*, Romae - Parisiis 1914; A. A. Tanquerey, *Synopsis theologiae dogmaticae specialis*, vol. I-II, Romae - Parisiis 1913-1914.

⁶⁷ Cfr. *Summa theologiae moralis. Scholarum usui accommodavit Hieronymus Noldin*, vol. I-III, Oeniponte (Innsbruck) 1901-1902.

⁶⁸ Cfr. S. Aichner, *Compendium iuris ecclesiastici ad usum cleri, ac praesertim per Imperium Austriacum, in cura animarum laborantis*, Brixiae 1870³.

⁶⁹ Cfr. P. J. B. de Herdt, *Sacrae liturgiae praxis iuxta ritum Romanum*, vol. I-III, Lovanii 1877⁶.

⁷⁰ Cfr. A. Szlagowski, *Wstęp ogólny historyczno-krytyczny do Pisma Świętego* [Introductio generalis historica critica in *Sacram Scripturam*], t. I-III, Warszawa 1907-1908.

⁷¹ Sac. Alexander Lipiński.

⁷² Cfr. A. Lipiński, *Archeologia biblijna* [Archeologia biblica], Warszawa 1911.

⁷³ Cfr. W. P. Krynicki, *Dzieje Kościoła powszechnego* [Historia Ecclesiae Universalis], Włocławek 1914², pp. XVI +757.

quo spiritu, qua pietate et quoniam in studiis profectu alumni edacentur, sed etiam personaliter alumnos nosse et eorum indolem explorare archiepiscopus studet.

94. Bis in anno alumni subeunt examina, quovis scilicet semestri abso-luto; peracto studiorum curriculo examini maturitatis subiiciuntur e disciplinis theologicis: theologia dogmatica, morali et pastorali, scriptura sacra, iure canonico et historia ecclesiastica; quo ad alumnorum pietatem, vitae integritatem et alias dotes, ut digni et idonei sacra ordinatione recenseantur, agitur de iis in sessionibus quovis mense coadunandis, praeside regente; et bis in anno in sessionibus generalibus, praeside ipso archiepiscopo. Ordinationibus praemittuntur exercitia spiritualia. Ante novi Codicis Iuris Canonici introductionem post exercitia annua quinque diebus peracta alumni II-i anni tonsuram accipiebant et simul promovebantur ad ordines minores; ante subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum pariter trium et quatuor dierum exercitia spiritualia praemittebantur. Inde ab introductione novi codicis Iuris Canonici tonsura et ordines minores separatim, praemissis exercitiis spiritualibus conferuntur. Interstitia in universum servabantur; in quibusdam casibus Ordinarius vi triennalium facultatum pro foro externo gratia dispensationis a Sede Sancta sibi concessa utebatur. Ordinantur alumni ad titulum servitii dioecesani vi specialis gratiae a Sancta Sede concessae, cuius mentionem art. 21 feci. Pauci etiam alumni vi specialis gratiae a Sancta Sede concessae et art. 21 recensitae, ob penuriam sacerdotum, a defectu aetatis 18 mensium dispensabantur in promotione ad sacram presbyteratus ordinem.

95. Nullum extraordinarium malum ultimo quinquennio in Seminario accidit. Aedes vero ampliatae sunt, ut memini art. 82, et Musaeum biblicum a professore Sacrae Scripturae Alexandro Lipiński, post eius ex peregrinatione in Terram Sanctam redditum, conditum est, ubi varia subsidia ad disciplinas biblicas tradendas ex dono archiepiscopi, professoris Lipiński et aliarum personarum congregata et apte disposita asservantur.

96. In pago Skolimów, in salubri loco spatio 20 kilometrorum a Varsavia sito, adest domus rusticationis, ubi singulis mensibus, feriarum aestivarum tempore, 30-40 alumni adunantur.

Qui vero tempore feriarum ad domos suas revertuntur, aut apud parochos degunt, peculiari curae parochorum committuntur, eisdem regulas pro alumnis tempore feriarum servandas exhibent, et muniti litteris testimonialibus parochi sigillo clausis revertuntur, tali modo rationem reddituri de modo sese gerendi regenti Seminarii.

97. Antea 8 alumni studia altiora theologica in Academia Ecclesiastica Petropolitana perficiebant, qui excepto uno, in Russia detento, omnes redierunt. Pariter Romae in collegio Polonorum, Oeniponte, Friburgi Helvetiorum aliquot alumni studiorum altiorum causa commorabantur, nunc vero ob belli vicissitudines omnes regressi sunt in archidioecesim.

Altiora vero studia anno 1918 peragunt undecim alumni in facultate theologica universitatis Varsaviensis et unus in facultate iuris canonici Universitatis Catholicae Lublinensis.

98. Neque alumni Seminarii neque sacerdotes civiles facultates universitatis frequentant.

99. A servitio militari alumni omnino liberi sunt.

100. Regula de non admittendis in Seminarium alumnis, reiectis vel non admissis ab aliis seminariis vel ab institutis religiosis, strictissime servatur.

Art. II. De facultate theologica Universitatis Varsaviensis

101. Mense Maio 1918 a. consentiente Sede Apostolica provisorie erecta est facultas theologica in universitate publica Varsaviensi. Semestri aestivo 4 professores, ab Ordinario designati, tradebant alumnis disciplinas theologicas, alumni 16 erant: 8 - ex archidioecesi Varsaviensi, 2 - ex dioecesi Vladislaviensi, 3 - ex dioecesi Plocensi et 3 - ex dioecesi Sandomiriensi.

Semestri hiemali anni academici 1918/19 a 7 professoribus, ab Ordinario missione canonica docendi munitis, traduntur disciplinae theologiae iuxta duas sectiones: dogmatico-biblicam et canonico-moralem dispositae. Alumnorum numerus 42 recensetur: 11 - ex archidioecesi Varsaviensi, 4 - ex dioecesi Vladislaviensi, 4 - ex dioecesi Plocensi, 5 - ex dioecesi Sandomiriensi, 1 - ex dioecesi Podlachiensi, 7 - ex dioecesi Sejnensi, 6 - ex dioecesi Vilnensi, 1 - ex dioecesi Samogitiensi, 1 - ex dioecesi Minscensi, 1 - ex dioecesi Žytomiriensi et 1 - ex dioecesi Rigeni.

Alumni tenentur habitare in convictu speciali, curae sacerdotum Congregationis Missionum S. Vincentii a Paulo commisso. Convictus moderatur a rectore, sacerdote eiusdem Congregationis, qui simul munere professoris in facultate theologica fungitur. Haec quidem feliciter copta indigent Sanctae Sedis benignissima approbatione et archiepiscopus Varsaviensis breviter aditus est Sanctissimum Dominum, ut facultatem theologicam canonicę erigere eamque opportunis privilegiis augere dignetur.

Caput IX. De institutis religiosis virorum

102. Religiosi in art. 3 enumerati omnes vitam communem servant; habitu proprio sui ordinis induiti incedunt; exceptis fratribus Congregationum Servorum Mariae et Filiorum B. Mariae V. Dolorosissimae, qui sequaces vitae religiosae coram mundo absconditae habitu laicali externo utuntur; omnes sustentantur ex eleemosynis, sponte oblatis, insuper, qui opem ferunt clero saeculari in concionibus, missionibus, stipendiis ab eodem clero oblatis sublevantur, qui catechetae vel professores in facultate theologica munere funguntur salarium congruum percipiunt; fratres vero arti manufactoriae addicti, labore manuum sustentantur. Omnes religiosi optima

fama gaudent et exemplo sunt clero et populo. Nulli in archidioecesi in quantum sciri potest deprehenduntur in maioribus ordinibus constituti a suis praepositis electi vel dimissi, nisi excipiatur unus senex ex ordine Camaldulensem, qui in xenodochio Varsaviensi degit absque licentia celebrandi missam.

103. Presbyteri regulares in universum pietatem fovent, praesto sunt clero saeculari in concionibus, misionibus, exercitiis spiritualibus peragendis confessionibusque excipiendis; alii munere catechetae et professoris sacrae theologiae funguntur; omnes adlaborant magno cum fructu et optima cum fama; ex omnibus religiosis tantum a Clericis Regularibus ab Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis moderantur, ex concessione ordinarii, scholae et institutum puerorum, quae iuxta canonicas praescriptiones Ordinarii vigilantiae subsunt.

Iudem Clerici Regulares curam animarum in parochia Bielany, sibi ad tempus addicta, exercent; sacerdotes Congregationis Missionum S. Vincentii a Paulo opem ferunt curato parochiae S. Crucis Varsaviae, sacerdotes Ordinis S. Francisci Conventualium curam animarum in Łagiewniki exercent et in omnibus, quae ad istam curam spectant, ab Ordinario dependent.

104. Ad quaestuentes in archidioecesi pertinent soli PP. Cappucini, qui opportuna Sanctae Sedis decreta hac de re edita servant, nihilque inconveniens de eorum agendi ratione ad notitiam Ordinariatus pervenit.

105. Archiepiscopus nullum habet cum regularibus offendiculum in exercitio iurisdictionis sive Suae sive Sibi a iure delegatae.

106. Nulla congregatio diocesana virorum in Archidioecesi adest.

Caput X. De institutis religiosis mulierum

107. Mulieres religiosae generatim ita vivunt, ut fidelium sint exemplo; singulæ personæ si aliqua ratione minus recte aut prudenter sese gerant, statim dimittuntur, servatis regulis a sacris canonibus praescriptis.

Nullum in archidioecesi datur monasterium mulierum Praelato regulari subiectum.

108. Leges canonicae circa clausuram servantur.

109. Reditus monasteriorum fideliter administrantur; dotes monialium persolutae et investitiae fuerunt, administrantur vero de speciali licentia Ordinarii aut eius quoad has causas substituti archiepiscopi auxiliaris Casimiri Ruszkiewicz.

110. Pro confessione monialium omnes constitutiones et recentissima etiam decreta apostolica adamussim servantur.

111. Si excipientur moniales a Visitatione B. Mariae Virginis, S. Benedicti de Perpetua Adoratione Sanctissimi et Ordinis S. Clarae vitae contemplative addictae, omnes reliquæ congregations, quae publice aut clam vitam communem agunt, vitae activae addictae sunt, praesertim educandis

puellis, tutelae praestandae mulieribus, puellis, opificibus feminei sexus, ancillis, senio confectis, aegrotis et miserabilibus incumbunt; ubique cernitur spiritus Christi eiusque amoris cum fidelium utilitate et Ecclesiae aedificatione, praesertim magni habenda est tutela mulieribus et puellis praestita in maioribus urbibus, quae et a peccatis praeservantur et ad vitam christianam excitantur.

112. Quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt aut rem domestican in hospitalibus aliisque virorum domibus gerunt continua inspectione superiorum praecaventur, ne quid inconveniens accidat.

Quaestuentes religiosae in archidioecesi non adsunt.

113. Nullum institutum mere diocesanum in archidioecesi habetur.

Caput XI.

De populo generatim

114. In universum populus est religiosus, morigerus, bonae indolis atque honestae vitae, licet actione prava socialistarum praecipue inter operarios agitatus. Ultimis his temporibus influxum pessimum exercere coeperrunt agitatores et emissarii Russorum maximalistarum (bolschevitismi), inter quos Iudei praevalent.

Specialia vitia, licet non multum propagata indigitari possunt: abusus aquae vitae; rei alienae concupiscentia, inde timetur valde, ne ideae maximalistarum Russorum seu bolschevicorum inter incolas, maxime eos, qui proprietate destituti sunt, propagentur.

115. Diebus dominicis et festis fideles omnino abstinent ab operibus servilibus, pracepto de Missa audienda libenter satisfaciunt et hos dies sanctificant. Hanc ob causam executio "Motu proprio de diebus festis" p. m. Pii X Papae de suppressione festorum aliquandam difficultatem praesefert. Ideoque in conventu episcoporum provinciae ecclesiasticae Varsaviensis statutum est, ut id paulisper sensim sine sensu fiat; ne minus cultae laboriosae classis personarum sensus catholicus offendatur.

116. Leges ecclesiasticae de abstinentia strictissime a populo in provincia servantur. Varsaviae et in maioribus oppidis rarae earundem infractio-nes notantur, sed ab antiquo tempore conceptio ieunii vitiosa praevalet. Quoad usum ovorum tempore quadragesimae et diebus stricti ieunii existit immemorabilis consuetudo saltem plusquam centenaria.

Universitas populi pracepto de confessione et communione paschali satisfacit, nisi excipientur illi, qui ideis socialistis imbuti sunt et quidam indifferentes ex classe cultiori, quae intelligentia dicitur.

Immo etiam multi socialistae ex quadam religiosa dispositione et veneratione erga Sanctam Ecclesiam his praceptis satisfaciunt.

117. Frequentia ad sacramentalem confessionem et ad S. Communionem maior est in urbibus maioribus quam ruri; in ea praevalent numero feminae quam viri; inter mulieres vero non modo pars plebeia, praesertim

ancillae, sed etiam pars cultior frequentius accedit ad confessionem et S. Communionem; iuventus scholastica et pueri puellaeque scholarum ter aut etiam quater in anno ad confessionem accedunt et ad sacram communionem frequentem adhortantur.

118. Rustici in genere et classes minus opulentes fere sine exceptione baptisant infantes statim post eorum nativitatem. Inter bene natos et possessionatos frequentius evenit, ut distrahatur baptismus ad certum tempus sub praetextu verbi gratia adventus personarum, frigoris hiemalis et s.p. Qui baptisare nolint suos infantes, vix aut ne vix quidem inveniri possent.

119. Matrimonia civilia hucusque lege civili prohibita sunt. In maioribus urbibus et oppidis quandoque, ruri vero rarissime casus concubinatus notantur. Varsaviae quaedam personae piae adunatae sunt ad adducendos concubinarios, ut sacro vinculo matrimoniali iungantur. Quem in finem pauperioribus omnia media suppeditant, quae faciliorem reddant actum religiosae copulationis.

120. Ubi numerosiores sunt protestantes, nempe in oppidis Łódź, Zgierz, Tomaszów Rawski, Ozorków, Konstantynów et alibi, frequentiora quidem sunt matrimonia mixta, quae contrahuntur, obtenta prius dispensatione ab ordinario; qui in vim gratiae, a Sancta Sede sibi concessae et art. 21 memoratae, dispensat, servatis omnibus cautelis a lege canonica praescriptis, praesertim ne proles in acatholica secta baptisetur aut educatur. In universum parochi dissuadent matrimonia mixta, propterea quod ex iisdem ut plurimum nascitur religiosa indifferentia. Ubi tamen mulier catholicae religioni addicta est, infantes sine exceptione religioni catholicae addicti manent. Ubi vir est catholicus, mulier protestanticae sectae adhaerens, ibi maius periculum relapsus in haeresim timetur. In universum ex matrimoniis mixtis nascitur proles religioni catholicae addicta.

121. Generatim parentes filios filiasque non modo in sinu familiae, sed etiam extra familiam, et maxime in scholis, christianis moribus instituere curant.

122. Generatim fideles graviter decumbentes extrema sacramenta deponscunt. Rarissimi sunt casus funerum civilium, nam etiam pro suicidis a consanguineis vel propinquuis vehementer expostulatur sepultura catholica, quae ex iure et ad scandalum vitandum saepius denegatur.

123. Electiones ad parlamentum, sub ditione Russica institutum, quod "Duma" vocabatur, factae sunt in fundamento programmatis catholici. Item electiones ad Consilium Status polonici bonae iudicandae sunt. Nunc vero mutatis conditionibus politicis, quo Polonia redintegrata renascitur, timendum est, ne agitatio socialistarum aliorumque, qui perverso modo democratiam concipiunt, animos etiam bonorum fidelium secundant ita, ut timeatur ne in primum plenum parlamentum (quod Polonie "Sejm" dicitur) eligantur numerosiores socialistae. Omnia licita et honesta media a catholicis, praesertim a clero, duce episcopatu, praeparantur atque in futuro promovebun-

tur, ut tales deputati elegantur, qui religioni et libertati Ecclesiae plene adicti sint.

124. A multis annis Varsaviae existere dicebatur conveniendi locus massonicus et suspicabantur quaedam personae tamquam sectae massonicae addictae, sed nullo modo hoc probari certo poterat. Si enim fuisse Varsaviae tale conventiculum, omnino esset secretum vel cum secta Iudaica iunctum. Persuasum tamen ordinario erat Varsaviae quoque existere inter Polenos personas sectae massonicae addictas. Verificatum tamen est ab ordinario nonnullas personas accusatas de adhaerentia sectae massonicae veros catholicos fuisse, ut medicus, doctor Carolus Benni⁷⁴, qui fuit protestans et sectae massonicae Varsaviae praeses dicebatur, ad religionem catholicam conversus est et ante mortem publice et pie confessionem peregit et extrema sacramenta suscepit, moribundus ab archiepiscopo benedici voluit et qua catholicus sepultus est; pariter medicus doctor Iosephus Brudziński⁷⁵, rector resuscitatae universitatis Varsaviensis, qui sectae massonicae addictus dicebatur, studuit tamen, ut initium anni academici, omnisque solemnitas in universitate cum celebratione Missae et concione perageretur, ipseque ante mortem confessus est, extrema sacramenta pie suscepit, Beatissimae Mariae Virgini animam moribundus commendabat et catholice sepultus est; rector scholae politechnicae Patschke⁷⁶, protestans, moribundus uti votum vehemens suae vitae catholicam religionem publice professus est, vocatis ad se professoribus et studiosis et tandem sacramentis munitus e vivis decessit.

Ephaemeribus publicis nuntiabatur, tempore occupationis Germanorum Varsaviae duos locos esse fundatos, quo massoni Germanorum convenirent, quod quidem verum esse credi potest.

Ultimis tamen diebus anni 1918 in quibusdam foliis periodicis publicata est invitatio eorum, qui nomen sectae massonicae dederunt, at vero suspiciari licet hic agi de agitatione, cuius effectus nondum deprehenditur.

Socialistae in archidioecesi dispescuntur in tres factiones: 1) "Socialis Democratia" praecipue Iudeis constans; 2) recens ortus "socialismus radicallis" et "anarchisticus" stricte cum socialistis Russorum, qui maximalistae (bolschevismus) dicuntur coniunctus; 3) "Polona Factio Socialistarum", cuius fautores et socii praecipue inter operarios recensentur. Socialistis qua-

⁷⁴ Carolus Benni (1843-1916), medicus et rerum socialium promotor. Fuit unus ex conditoribus et primus moderator commentariorum "Medycyna". Ab a. 1870 erat diligens socius Societatis Medicorum Varsaviensis. Institut Societatem confovenda industriae popularis. Eius sollicitudini et conatibus incrementum suum etiam debet Museum Industriæ et Agriculturae.

⁷⁵ Iosephus Policarpus Brudziński (1874-1917), medicus, rerum socialium et nationalium promotor. Ab a. 1910 fuit socius Societatis Scientiarum Varsaviensis. A. 1915-1917 functus est munere rectoris Universitatis Studiorum Varsaviensis et a. 1916 electus est ad munus praefecti Consilii Municipalis urbis Varsaviae.

⁷⁶ Stanislaus Patschke (1871-1917), machinator mechanicus. Ab a. 1906 docebat in Schola Varsaviensi a nominibus Wawelberg et Rotwand denominata. A. 1914-1915 fuit inter conditores Scholae Polytechnicae Varsaviensis, in qua a. 1916-1917 munere rectoris functus est.

dantenus accedit "Factio Rustica Popularis", quae falso conceptae democratis favebat.

Ab his distingui debet "Polona Unio Rusticorum Popularis", quae polonice "Polskie Zjednoczenie Ludowe" dicitur, quae in universum programmate catholico utitur.

Sub finem anni 1918 "Polona Factio Socialistarum" regimen supremum in manus suas suscepit, programma publicavit, quo scholae religionis expertes seu laicales promituntur, attamen omnes fere incolae animo adverso erga regimen socialisticum feruntur, unde et actio inimica Ecclesiae ab iis non est suscepta.

Tempore belli praxis spiritismi invaluit, fautores huius praxis inter Iudeos praecipue numerantur, a Iudeis vero ad quosdam catholicos haec superstitione transiit.

Socialismo opponitur actio catholica, praesertim in Associationibus officium christianorum, item ex suggestu tempore recollectionum, quae separatim pro operariis et separatim pro servulis femininei sexus quotannis institui solent, item articulis in foliis publicis insertis, peculiaribusque libellis, tandem litteris pastoralibus episcoporum polonorum, in ultimo conventu eorundem quoad puncta principaliora conceptis.

Superstitione spiritismi expugnatur in omnibus foliis periodicis etiam liberalibus, pariter in concionibus et recollectionibus, quae pro parte societatis cultioris quotannis Varsaviae, in Łódź, bis aut etiam ter institui solent, fideles ab hoc superstitione praemonentur.

Caput XII.

De iuventutis institutione et educatione

125. In archidioecesi Varsaviensi institutio et educatio filiorum iuxta usum et leges civiles non dabatur laicalis, siquidem et sub dominatione Russorum et tempore occupationis Germanorum et a gubernio polonico, sub regimine Consilii Regentium efformato, in scholis obligatoria erat traditio religionis catholicae pro discipulis catholicis, qui etiam officia vitae christiana adimplere tenebantur.

Si qui magistri contra religionem aut Ecclesiam quid dicere praesumperint, archiepiscopus reclamabat, et praceptor a praepositis suis castigabatur.

Sub finem anni 1918 efformatum regimen e socialistis factionis polonicae in programmate publicavit quidem scholae laicalis seu absque religionis doctrina propositum, sed aliae factiones politicae moderatae et praevalentes animum adversum huic proposito manifestaverunt, unde et propositum non est in praxim adductum, et Minister Instructionis publicae anteriora scholarum statuta de iuventute religiose educanda sequitur et ad archiepiscopum litteras dedit de providendis catechetis illis scholis, quae de novo efformantur.

Scholae distinctae sunt iuxta sexum, utriusque sexui communes admittuntur nonnisi scholae infantium, qui primo aut secundo anno educantur. Scholas, quae coeducationi utriusque sexus iuventutis destinatae erant, volebant quidem condere quaedam personae, attamen ipsi parentes ab his aversantur, unde a proposito hoc recedere coacti sunt infausti novatores breviter.

126. In universum scholae elementares bonae sunt; extra Varsaviam maxima ex parte cura cleri parochialis conditae, quod ipsi moderatores rei scholasticae non semel publice et in foliis periodicis professi sunt. Populus ne concipere potest scholam, in qua religio non tradatur.

127. Scholae elementares pro Iudeis ubique habentur separatae; pro acatholicis tunc tantum si maiori sunt numero; in reliquis praevalent catholici pueri et puellae, quae aut a sacerdotibus aut a magistris idoneis missione canonica instructis rudimenta fidei percipiunt. Iterum atque iterum ab archiepiscopo inculcatum est omnibus parochis, ut ipsis per se vel per suos cooperatores in omnibus scholis suaे parochiae religionis rudimenta tradant, ubi vero idonei magistri missione canonica instructi hoc faciunt ob scholarum magnum numerum, sacerdotes tenentur una saltem hora in hebdomada, aut ad minus bis in mense personaliter in schola rudimenta fidei explicare.

128. Scholae noxiae primordiorum in archidioecesi non dantur.

129. Scholae mediae, ut art. 125 monui, statutis regulantur, quae religionis doctrinam tradendam et officia vitae catholicae adimplenda tuentur.

Varsaviae a decem circiter annis condita est schola media catholica S. Stanislai Kostka, cuius protector principalis et benefactor est archiepiscopus, a catholicis, praesertim sacerdotibus sustentatur, et ab omnibus etiam erga Ecclesiam non sat bene dispositis schola haec multis encomiis celebratur.

Clerici Regulares, qui Mariani dicuntur, anno 1918 condiderunt scholam medium in suburbio Varsaviensi Bielany, cuius optimus fructus expectatur.

Congregatio mulierum ab Immaculata Conceptione in parochia Szymańow sustentat et dirigit scholam medium pro puellis optimo cum fructu.

Item ab associatione piarum mulierum clam vitam communem degenibus Varsaviae a pluribus annis sustentatur et dirigit exemplaris schola media pro puellis.

"Unio catholica feminarum polonarum" Varsaviae sustentat et dirigit a decem annis scholam superiorem pro educandis puellis, et a quatuor annis seminarium ludi magistrarum. Scholae istae omni laude dignae sunt et multum adlaborant, ut educatio religiosa promoveantur.

130. Opera catholica, quae post-scholaria dicuntur, nonnisi post regressum Russorum evolvi potuerunt, siquidem Gubernium Russicum omnia impedimenta hisce operibus struebat.

Itaque promoti sunt inter iuventutem circuli, quo ad recitandum SS. Rosarium, bonosque libros legendos adunantur; adoratio Sanctissimi in mense pro iuventute scholarum mediarum separatim pro pueris separatim pro puellis instituitur in ecclesiis Varsaviae. Festum S. Stanislai Kostka solemniter celebratur, praemissa confessione et communione sacra et instituta publica academia, cui intersunt etiam praepositi rebus scholaribus, magistratus et plurimi optimi cives.

Qua in re optime merita est comitissa Caecilia Plater⁷⁷, quae et ipsa congregationi mulierum clam vitam communem degentium nomen a pluribus annis dedit et societatem condidit, quae "Societas amicorum iuventutis" dicitur et a duodecim annis inter adultorem iuventutem educationem religiosam promovet conferentiis, lectionibus et s. p.; a predicta societate iuvenes pauperiores sustentantur, qui catholice educati etiam studia in universitate absolvunt, quidam eorum statum ecclesiasticum amplexi sunt, quidam vero ut laici rei catholicae et scriptis et lectionibus promovendae optimae inserviunt.

Pro pauperioribus Bursam, quae "Nazareth" dicitur, condidit p. m. Michael princeps Radziwiłł⁷⁸, ubi pueri sustentantur, catholice educati scholas frequentant et ad statum ecclesiasticum praeparantur, non pauci alumni Bursae iam sacerdotes facti sunt.

Demum a quinque iam annis ab "Unione catholica seminarum polonarum" sustentantur et promoventur cursus catechetici, in quibus magistri et magistrae ad munus catechistarum praeparantur et alii cultiores fideles instructionem religiosam percipiunt. Cursus hi anno 1918 et programmate et numero auditorum evolvuntur optimisque fructus afferunt.

Omnibus his operibus invigilat archiepiscopus, cui praesto est "Consilium scholasticum archidioecesanum," a quo copta scholas concernentia examinantur et res, quae spectant optimam methodum tradendae disciplinae religionis, programmata, praceptorum doctrinae religionis praeparationem et perfectionem, ab ordinario approbandae proponuntur et tuentur.

Caput XIII.

De piis sodalitatibus aliisque religiosis consociationibus

131. In archidiocesi adsunt plurimae rite constitutae religiosae consociationes videlicet:

⁷⁷ Caecilia Plater-Zyberk, cfr. ANP LVII/1, notam 295, p. 145.

⁷⁸ Michael Petrus dux Radziwiłł (1853-1903), possessor bonorum Nieborów, conditor officinae "maiolicam" fabricantis, exemplaria rei agrariae administrator, scriptor, editor Bibliothecae Varsaviensis (Biblioteka Warszawska), beneficentiae propagator, cubicularius Aulae Imperatoris Russiae. Ab a. 1890 socius Societatis Beneficæ Varsaviensis, cuius etiam praeses fuit a. 1895-1897. Una cum uxore sua Maria fundavit asylum "Nazareth" pueris domo parentibus destinatum, cuius constructio incohata est a. 1896, insuper et asylum pueris domo parentibus Lovicii.

- Archiconfraternitas Litteraria s. t. Immaculatae B. Mariae Conceptio-nis ad ecclesiam cathedralem Varsaviensem,
- Confraternitas adorationis SS. Sacramenti ad ecclesiam Monialium or-dinis s. Benedicti a Perpetua Adoratione SS. Sacramenti Varsaviae,
- Confraternitas SS. Sacramenti ad ecclesiam Monialium a Visitatione Beatae Mariae Virginis,
- Confraternitas adorationis SS. [Sacramenti] et ecclesiis pauperioribus providendis,
- Confraternitas adorationis SS. Sacramenti et a doctrina christiana,
- Confraternitas Cordis Jesu,
- Confraternitas Quinque Vulnerum Jesu Christi,
- Confraternitas a Providentia Divina,
- Confraternitas Sacrae Familiae,
- Confraternitas Cordis Mariae
- Confraternitas SS. Rosarii,
- Confraternitas Scapuli B. Mariae V. de monte Carmelo,
- Confraternitates 3 - s. Joseph, 2 - Raphaelis, Michaelis, Annae, Rochi, b. Ladislai et aliorum sanctorum, qui variis in locis peculiari cultu celebra-tur,
- Associatio matrum christianarum,
- Associatio s. Stanislai Kostka pro iuvenibus,
- Associatio ministrantium puerorum in ecclesiis.

Praesertim vero eae, quae a Sancta Sede potissimum commendatae sunt seu illae a SS. Sacramento, a Rosario, a christiana doctrina.

A gubernio Russico tolerabantur tantum eae consociationes religiosae, quae antiquitus introductae fuerant; cum anno 1906 p. m. archiepiscopus Vincentius Popiel, praedecessor meus, promovere studuisset confraternita-tes a SS. Sacramento et a doctrina christiana, gubernium Russicum impedi-menta struebat ita, ut praesertim consociationes a christiana doctrina evol-vi non potuerunt.

132. Non modo in ecclesiis regularium, aut in iis, quae olim regularium erant, erectae sunt variae confraternitates religiosae, sed in omni fere paro-chia existunt, praesertim illae a SS. Sacramento et a Rosario.

In ecclesia S. Casimiri monialium Ordinis S. Benedicti a Perpetua Ado-ratione SS. Sacramenti Varsaviae inde a saeculo XVIII existit Archiconfra-ternitas Adorationis SS. Sacramenti non modo pro feminis sed etiam pro viris; associatio haec piis insimul operibus incumbit et optima fama gaudet.

133. Omnes illae consociationes iuxta canonicae legis praescripta ab auctoritate ecclesiastica dependent et ab ordinariatu invigilantur; in uni-versum devotionem et pia opera promovent; pauci abusus inter membra plebeiae conditionis commissi castigati sunt.

134. Tertiarii in saeculo viventes associati sunt in congregations, quas art. 3 enumeravi; vita exemplari eminent et a PP. Capucinis moderantur.

135. Praeter illas congregaciones, alliae in saeculo viventes dantur in multis parochiis, ordinarie semel in mense congregantur; vitam vere devoutam degunt.

136. Inter sodales praedictarum consociationum religiosarum nulli dantur, qui aut placitis doctrinae catholicae adversis faveant, aut vitam inhonestam ducant.

Caput XIV.

De piis legatis et eleemosynarum collectionibus

137. In dioecesi multa existebant legata missarum, quarum pecunia a. 1867 a Russico Gubernio confiscata erant; onera ab archiepiscopo vi specialis gratiae Sanctae Sedis, cuius mentionem feci art. 21, reducta sunt; regesta onerum reductorum in Curia Archidioecesana minutissime specificata asservantur; praeterea inde ab a. 1867 multa legata missarum erant, quorum totalis massa fundi constituit 1 201 629 rubelorum; ex dispositione iuris civilis russici massa fundi detinebatur in fisco imperiali russico et redditus quotannis ecclesiarum rectoribus solvebatur; at vero mense augusto 1915 a. discedentes Russi totam hanc massam abstulerunt in Russiam; specificationem ablatae pecuniae ex legatis Missarum aliisque oblationibus provenientis archiepiscopus depositus officiis publicis Polonorum, ut accidente liquidatione Russorum negotiorum in Polonia et haec summa pecuniae uti proprietas Ecclesiae vindicetur.

138. Missis legatorum intra praescriptum tempus regulariter satisfit; peculiaribus in libris in Curia et in quavis ecclesia id strictissime adnotatur, quod a decanis quotannis, ab archiepiscopo aut eius delegato in visitatione canonica, a Curia vero singulis decenniis verificatur.

139. Collectiones eleemosynarum pro obolo S. Petri non admittebantur a Gubernio russico; solum secrete et clam aliquoties fiebant. Ordinatione hodierni Ordinarii quotannis die Epiphaniae Domini fieri paeceptae sunt.

140. Collectiones pro cleri sustentatione in archidioecesi non fiunt.

141. Extraordinariae collectiones ad subveniendum inopiae fidelium, tempore belli ad egestatem reductorum, promovendas scholas et alia id genus, ex inductione ordinarii tempore belli saepius fiebant.

Religiosi quaestuentes stricte loquendo in archidioecesi non sunt, de quaestuantibus PP. Capuccinis aperui mentem meam art. 104.

Caput XV.

De operibus piis et socialibus

142. Hospitalia, orphanotrophia, ptochotrophia aliaque id genus caritatis instituta multa in archidioecesi existunt, plurima cura et studio cleri erecta, sed a gubernio russico saecularisata sunt. In omnibus illis institutis catholici spirituali assistentia frui libere possunt, ubique fere peculiares ca-

pellani turam spiritualem agunt et sorores charitatis S. Vincenti a Paulo inserviunti.

143. Opera socialia catholica sub ditione Russica vix evolvi potuerunt, nihilominus etiam angustissimis temporibus, quibus omnis actio catholica a Gubernio Russico prohibita erat, "Associatio Opificum Christianorum", quae vulgo "Democratia Christiana" dicitur, duodecim annis evolvitur Varsaviae, in oppidis Łódź, Zgierz, Tomaszów Rawski et in aliis locis, ubi operarii inveniuntur. Per aliquod temporis spatium actio haec multas difficultates a gubernio Russico experta est, attamen ultimo anno ab archiepiscopo pecunia sublevata associatio incremen tum est nacta; propriis foliis quavis hebdomada editis principia salubria propagare studet, imo ultimo tempore etiam quotidianis foliis publicis conditis de promovenda hac actione curat.

Praeterea "Associatio Ancillarum Domesticarum", "Associatio Custodum Domorum" Varsaviae prospere evolvuntur.

"Unio Catholica Virorum" tempore belli ob membrorum dispersionem fere extincta est.

"Unio Catholica Mulierum Polonarum" cuius art. 129 mentionem feci, praeter scholas ibidem recensitas, actionem catholicam promovet in circulis parochialibus pro mulieribus Varsaviae; asylo pro discipulis artes manuales dissentibus condito et aliis operibus piis.

Item a congregationibus religiosis mulierum, vitam comunem clam ducentibus, aluntur patronatus pro iuvenibus sexus feminini; bursae et alia id genus instituta.

Quaedam huiusmodi instituta recensui inter opera post-scholaria catholica art. 130.

144. Consociationes et opera haec socialia et ii; qui eis praesunt, debitam in omnibus Ordinario et Summo Pontifici reverentiam praestant, et in iis, quae fidem, mores et iustitiae leges attingunt, Sanctae Sedis directioni et moderationi, principiis videlicet de actione catholica emissis, omnino subsunt.

145. Archiepiscopus curat, ut in hisce consociationibus et operibus praeificantur, qui non nomine tenus, sed corde et opere catholici sunt. Adscripti pariter eisdem consociationibus et operibus vitam vere christianam ducunt et in fidei doctrina instituuntur.

In associationibus illis patroni, ex clero ab archiepiscopo designati, in modum agendi invigilant, rationem ordinario reddituri.

Totam vero actionem socialem catholicam promovet "Consilium archidiocesanum de re sociali" ab ordinario designatum, quo coadunantur patroni associationum et alii viri periti ex clero electi.

146. Cautum omnino est et invigilatur, ne in hisce catholicis consociationibus connumerentur personae sectis secretis adscriptae, increduli, impii vel religioni adversi, unde multum adest periculum, ne consociationes ipsae vel earum opera a recto fidei et iustitiae tramite aberrent.

Caput XVI.
De editione et lectione librorum et diariorum

147. Varsaviae, utpote in urbe capitali et numerosissima paeplurimi libri, ephaemerides, illustrationes, diaria eduntur, inter quae multa sunt bona et utilia, sed non desunt mala atque etiam licet non maiori numero etiam obscoena, impia et religioni nociva. Numerus eorum diffusionis stricte assignari non potest; id guidem verum est a rusticis illa non legi; nociva vero folia, edita ab iis, qui falso conceptae democratiae favent, quaeque vocabantur "Zaranie" a quatuor annis non eduntur. Inter operarios divulgantur folia periodica socialistarum, quibus obviam ire et eorum vim infringere studet art. 143 memorata "Associatio Opificum Christianorum" suis editionibus et scriptis divulgatis.

148. Non multa scripta impia vel obscoena aliarum civitatum dioecesim ingrediuntur, quia, si quae sunt, Varsaviae edi solent, aliunde tempore belli divulgari non potuerunt.

149. Litteris pastoralibus archiepiscopi fideles non semel a lectione pravorum librorum et diariorum arcebantur; parochi in concionibus et confessarii omni cura agunt, ne in familias catholicas scripta quaevis noxia aditum habeant; insuper in recollectionibus pro parte cultiori societatis instituendis agi solet de lectione pravorum librorum vitanda.

150. Libris et diariis noxiis pro posse opponuntur scripta honesta et instructionem catholicam vitamque christianam promoventia.

Belli tempore difficillimum erat diaria catholica edere ob chartae papyrusaceae et expensarum impressionis pretium admodum auctum. Nihilominus Varsaviae continuo edebantur et eduntur folia periodica quotidiana catholica "Polak Katolik", duo diaria hebdomadaria pro populo et opificibus destinata; folia parochiae Omnia Sanctorum, simul propagatae sunt editiones P.P. Jesuitarum domus Cracoviensis, boni libri a "Societate editrice catholica S. Adalberti" Posnaniensi editi; diaria et libri a libraria dioecesana Vladislaviensi excussa, quibus propagandis dueae potissimum Varsaviae officinae libraiae catholicae inserviunt.

Sub finem anni 1918 condita sunt nova folia periodica catholica; alia quotidie edenda ab "Associatione Opificum Christianorum", alia bis in mense edenda diaria parochiae SS. Trinitatis Varsaviae.

Insuper propagationi librorum et diariorum pravorum iam a duodecim annis a clero opposita est divulgatio bonorum librorum. Quem in finem condita est Varsaviae "Societas condendarum bibliothecarum parochialium in archidioecesi Varsaviensi." Attamen a Gubernio Russico societas statim est prohibita et nonnisi post discessum Russorum ordinationem dare potui ad clerum, ut bibliothecae parochiales, quae hucusque clam et uti parochi privata propietas erant, publice et ubique conderentur. Statim earum numerus crevit et iam in multis parochiis divulgatur lectio bonorum librorum, praecipue eorum, qui in fide et bonis moribus instruunt, vitam christianam pro-

movent. Auctis scholis, analphabetismus inter plebeios deploratus extinguetur et tunc sperare licet fore ut lectio librorum bonorum instructioni reliquiae et vitae christianaæ aedificationi destinatorum accrescat multumque utilitatis afferat.

Schema I.
(additamentum ad art. 4)

Elenchus ecclesiarum, quae tempore belli in archidioecesi Varsaviensi aut ex toto aut ex parte damnificatae sunt.

1. Ex toto dirutae aut ab igne absumptae sunt ecclesiae parochiales in Łomna, Dmosin, Główno, Niesułków, Skoszewy, Rokitno, Lipie, Konstantynów, Kamionna, Pniewnik, Cieladz, Kurzeszyn, Ździary, Brochów, Kamion, Hłów, Kozłów Biskupi, Sochaczew, ecclesia filialis S. Aegidii in parochia Inowlódz et S. Stanislai in Mistrzewice.

2. Notabiliter damnificatae sunt ecclesiae parochiales in Pęcice, Piaseczno, Pruszków, Raszyn, Źbików, Gałków, Stryków, Szczawin, Kiernozia, Ojrzanów, Chełmno, Kazimierz, Bielany, Skolimów, Chruślin, Czerwonka, Babice, Boguszyce, Nowe Miasto, Regnów, Sierzchowy, Kozłów Szlachecki, Pawłowice, Rybno, Giżyce, Leoncin-Głusk, ecclesia filialis S. Leonardi in Łowicz, ecclesia PP. Cappucinorum in Nowe Miasto, ecclesia filialis in Rawa.

3. Damnificatae sunt etiam ecclesiae parochiales in Tarczyn, Błonie, Nadarzyn, Czersk, Góra Kalwaria, Lewiczyń, Michałowice, Łanięta, Krośniewice, Łęczyca, Mileszki, Aleksandrów, Assumptionis B. Mariae V. in Łódź, Bąków, Kocierzew, Komolina, ecclesia Collegiatae Loviciensis, ecclesia parochialis S. Spiritus in Łowicz, in Zduny, Złaków, Inowlódz, Rawa, Rzeczyca, Skieriewice, Janiszawice et ecclesiae filiales in Szczawin, Łagiewniki et Miedniewice.

Schema II.
(additamentum ad art. 4)

Elenchus profanationum in ecclesiis archidioecesis ab exercitu Germanorum tempore belli commissarum.

1. Protestantes vi adhibita suas caeremonias perficiebant in ecclesiis parochialibus Collegiatae Loviciensi, in Mileszki, in Komolina, Osmolin, Śubice et in quibusdam aliis in decanatu Skieriewicensi sitis.

2. In locum detentionis captivorum militum conversae sunt ecclesiae: Collegiatae Loviciensis, et in parochia Brzeziny.

3. In stabula equorum conversae sunt ecclesiae: parochialis S. Casimiri in Łódź, parochialis in Czerniewice, cappella S. Valentini in pago Korzeń parochiae Gąbin.

4. Currus authomobiles introducti sunt in ecclesiam filialem (olim Congregationis scholarum Piarum) in Łowicz.

5. In apothecam pro militibus conversa est ecclesia parochialis in Bratoszewice.

§ 14. Deliberationum protocollo conscribendum est, quod summam orationum argumentorumque cum nota, an argumentum acceptum an reprobatum sit, continere debet. Protocollo conscribendum est ab uno ex Episcopis, qui secretarius Conventus eligebatur. Exemplar huius protocollo Conventus membris tradendum est.

§ 15. Quaecumque Conventus decreta initio Conventus sequentis per legenda sunt.

§16. Membra Conventus curatores Episcopos eligunt, quorum est praeparare Conventum. Curatores sunt Primas, secretarius Conventus, simul tres Episcopi per plenum Conventus suffragii clandestinis electi ad tres annos. In casu decessus unius e membris ante diem, Primas vices eius gerentem ad tempus conventus sequentis nominat, qui novum curatorum membrum pro reliquo tempore ad conventum agendum praefinito electurus est.

§17. In casibus dilationem non patientibus curatores ius habent causam necessariam aggredi cum obligatione singularia Conventus membra de hoc certiora reddendi.

§18. Curatores convenient a Primate convocati, quoties necessitas exigit, absolute autem semel quotannis ante sessionem plenariam, ad illam praeparandam.

19. Cum ordines et congregaciones viriles et religiosae non omnes regulas servent, cumque praesenti tempore exoptatum sit, ut et ordines et congregaciones in cunctis regni dioecesibus inveniantur, Conventus decernit S. Patrem precibus adire, uti Visitatorem Apostolicum mittat. Ad quas preces elaborandas recuperatores vocati sunt Archiepiscopus Leopoliensis, Princeps-Episcopus Cracoviensis et Vilnensis.

20. Causam iurium stolae refert Episcopus Plociensis. Referens iura stolae in praesenti forma vocat cuneum diffidentem fiduciam parochianorum pastori animarum suarum habentium; quamdiu vero clerus sufficientem dotem non possidet, omnem reformationem censet impossibilem esse, correctionemque proponit, dummodo sustentationis pro clero convenientis cauta la praestetur. Longiore discussione habita, propositum referentis cum quibusdam commutationibus decretum est. Decretum sonat: Cum causa bonorum ecclesiasticorum, dotis cleri servitutisque ecclesiasticae ad regulam et normam directa erit, tum praeter officia sacra, orationes sacras, confessionem, visitationem aegrotorum etiam sequentes actiones gratuito perficiuntur:

1) baptismata in ecclesia parochiali;

2) proclamationes bannorum et matrimonia, administranda in pluviali, tempore ab Ordinario dioecesano constituto, duabus candelis in altari incensis et cantandis vel recitandis, quando ad ecclesiam organarius non inveniatur, hymnis et precibus liturgicis;

3) exsequiae, i. e. funera, a sacerdote pluviali induito, a porta coemeterii ecclesiae et ex ecclesia ad portam coemeterii ecclesiastici conducta, cruce praeporato campanaque una vice resonante;

Adnotatio 1. Mortuum portantes crucemque deferentes ab iis, ad quos funus pertinet, suppeditantur.

Adnotatio 2. In ecclesia absolutio decantanda ad feretrum in castro doloris duabus candelis incensis obligatur.

4) benedictiones post partum nuptiarumque post matrimonium.

Si quis maiorem cultus praestantiam in matrimonii et exsequiis aliisve hic non commemoratis ultra obligationem faciendis actionibus postularet, pro labore ultra obligationem praestito salarium accommodatum pendere debet iuxta taxam ab episcopo designatam.

Tertia pars supradicti salarii sacerdoti pro labore ultraobligatorio pendetur, tertia pars pro sacristia et necessitatibus interioris ecclesiae parochialis ultimaque tertia pars pro servitute ecclesiastica, item pro labore ad-diticio.

Hoc paeceptum omnino non continet mercedem pro officiis sacerdotum qua status civilis officialium.

De quo paecepto Archiepiscopus Teodorowicz uti delegatus ad comitia privato modo informare potest, cui iuxta eius sententiam conveniret.

21. Episcopus Premisiensis refert de seminaris reformandis elaboratu exhausto¹⁰⁵, singularia tamen huius reformationis proposita non dat, sed proponit convocare conventum rectorum seminariorum. Congregati propositum referentis probant. Conventus locum habebit Premisliae Episcopo Premisiensi praesidente die 8 et 9 Octobris a. c. Rectores seminariorum de die et hora adventus rectorem seminarii Premisiensis certiorem reddant; ibidem habitationem sustentationemque gratuitam invenient. Advenire debent rectores, in quantum possibile est, feria tertia diei 7 Octobris hora vespertina.

Episcopus Castrensis exercituum Polonorum animadvertisit talem rectorum seminariorum conventum iam locum habuisse Varsaviae laboresque huius conventus pro conventu Premisiensi fructuosos esse posse¹⁰⁶.

Sessio IV
die 28 Augusti hora 3 vespertina habita

22. Episcopus Vilnensis nomine Commissionis legit propositum literarum ad Beatissimum Patrem dirigendarum. Congregati literas approbant auctorique gratias depromunt¹⁰⁷.

23. In causa concordatus bonorumque ecclesiasticorum Conventus propositas approbat preces ad S. Patrem dirigendas, a Curatoribus compositas, et gratias agit Archiepiscopo Teodorowicz pro labore¹⁰⁸.

24. Sequentes Curatores Episcopi ad tres annos electi sunt: Archiepiscopus Leopoliensis (ritus Armeni) J. Teodorowicz, Princeps-Episcopus Czarnovensis A. Sapieha et Episcopus Lublinensis M. Fulman; dehinc tenore 16 Ordinis Conventuum Episcoporum Poloniae hi constituuntur Curatores:

¹⁰⁵ Cfr. I. S. Pelczar, *Urządzenie seminarów duchownych w Polsce* [Ordinatio seminariorum dioecesanorum in Polonia], Przemysł 1919.

¹⁰⁶ Cfr. ANP LVII/2, A. 2, p. 306-309.

¹⁰⁷ Vide annexum n. 4.

¹⁰⁸ Vide annexum n. 5.

1) Edmundus Dalbor, Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis, primas,

2) Henricus Przeździecki, Episcopus Podlachiensis, secretarius Conventus Episcopalis,

3) Iosephus Teodorowicz, Archiepiscopus Leopoliensis (ritus Armeni),

4) Adamus Sapieha, Princeps-Episcopus Cracoviensis,

5) Marianus Fulman, Episcopus Lublinensis.

25. Primas legit telegramma organisationis foederatorum in Conventu Varsaviae congregatorum, quod sensa homagii filialisque addictionis pro Praesulibus Gnesnae congregatis continet.

26. Pro Cassa Editionum Theologicarum ab Episcopo Plociensi proposita et organizata, eo proponente Conventus eligit Comitetum, quod 9 theologis componitur: 1) praelato Radziszewski¹⁰⁹, 2) professore Rev. Szczepański¹¹⁰, 3) professore Rev. Michalski¹¹¹, 4) professore Rev. Grabowski¹¹², 5) professore Rev. Kobyłecki¹¹³, 6) professore Rev. Szczęśniak, 7) professore Rev. Sołkowski, Episcopo-Nominato Suffraganeo Podlachiensi, 8) professore Rev. Szlagowski, 9) professore Rev. Hozakowski¹¹⁴.

27. Causa Organistarum refert Episcopus Sandomiriensis¹¹⁵. Referens enucleate confirmat necessitatem assistendi in conditionem organistarum, in corrigendam eorum subsistentiam materialem, in attollendam disciplinam artis eorum, ostendit periculum, quod erueret e male intellecto ab Organariis iure condendi circulos organistarum, quod nimis lucide in ultimo Conventu Organistarum Varsaviae percipiebatur. Congregati, his omnibus perpensis, simulque precibus Consilii Principalis Praesidumque Circuli Organistarum Polonorum ad Conventum Episcoporum directis, opinantes absolutam reiectionem legum ab organistis compositarum eos exacerbare posse difficilesque efficere, ut intelligerunt sibi agendum esse congruenter cum iure canonico, constituerunt:

¹⁰⁹ Aegidius Radziszewski, cfr. ANP LVII/1, notam 323, p. 159.

¹¹⁰ Vladislaus Szczepański, cfr. ANP LVII/3, notam 79, p. 18.

¹¹¹ Gulielmus Vincentius Michalski, cfr. ANP LVII/1, notam 436, p. 193.

¹¹² Ioannes Grabowski, cfr. ANP LVII/4, notam 630, p. 230.

¹¹³ Stanislaus Kobyłecki, cfr. ANP LVII/3, notam 80, p. 18.

¹¹⁴ Sac. Vladislaus Ioannes Hozakowski (1869-1934), presbyter archidioecesis Posnaniensis, professor Universitatis Studiorum Varsaviensis, Sacrae Scripturae peritus, commentariorum editor. Presbyteratus ordine a. 1893 suscepto studia sua continuabat Monasterii (Münster), ubi a. 1895 gradum doctoris adeptus est. Ab a. 1906 fuit professor exegeseos Sacrae Scripturae in Seminario Dioecesano Posnaniensi. A. 1924 in Universitate Varsaviensi "habilitationem" assecutus est, ubi historiam biblisticae historicae Novi Testamenti docebat. A. 1909-1913 edebat "Miesięcznik Kościelny Unitas". A. 1916 instituit Facultatem theologicam in Societate Scientiae Amicorum Posnaniensi, quae eum a. 1923 socium suum honorificum nominavit. A. 1910 adeptus est dignitatem cubicularii pontificii et sub finem vitae protonotarii apostolici. Ab a. 1915 fungebatur munere canonici gremialis Capituli Metropolitani Posnaniensis. A. 1928 factus est socius ad honorem Societatis Theologicae Polonae.

¹¹⁵ Copia (dactylogr.) relationis ep̄i M. Ryx, *O sprawie organistowskiej w czasach obecnych w diecezjach Królestwa Polskiego* [De negotio organariorum temporibus nostris in dioecesibus Regni Poloniae], servatur in AV, Arch.Nunz.Vars. 195 f. 746r-748r.

1) curare, ut Comitia annum fixum salarium pro omnibus organariis in Polonia et pro servis ecclesiasticis decernant;

2) diligenter persequi, ubi necesse est, ut cuique organistarum in oppidulis vicisque ecclesiasticis secundum decreta Comitiorum in causa agraria frustum fundi impertiatur;

3) adire Ministerium pro Doctrina Publica, ut Episcopis coadiuvantibus scholas organistarum condat opibusque sublevet;

4) non approbare codicem legum Circuli Organistarum;

5) circulos organistarum censere qua institutiones privatas, quae ius non habent relationes inter organistam et parochum ordinandi;

6) cedere Ordinariis libertatem, an causam organistarum per circulos organistarum confidere velint, an per legislationem dioecesanam.

Recuperatores, qui responsum Circulo organistarum mittendum elaborant, vocati sunt: Episcopus Sandomiriensis, Episcopus Castrensis et Episcopus Auxiliaris Sejnensis. Interim ad Praesidem Administratorum adeundum est, ut additamentum annonae carioris concedat¹¹⁶. Summam generali quisque Ordinarius proferat secundum normarum in metropoli sua constitutarum. Recuperatores Organarii dioecesani distribuant summas communes.

28. Probatum est propositum literarum ad S. Patrem dirigendarum in causa Visitatoris Apostolici pro ordinibus et congregationibus religiosis masculinis.

29. Rev.mus Primas legit telegramma Associationis de conservandis Fribus Occidentalibus in causa victimarum violentiae Germanorum in Silesia, quod preces auxilium materiale ferendi continet. Congregati profitebantur se iam antea decretum emisisse, ut collectiones pro infelicibus conferrentur.

30. Episcopus Cujav.-Calissensis Conventum cum precibus adit, ut causam canonizationis beatae Bogumilae fulciat. Conventus cum laetitia hoc propositum salutat precesque ad S. Patrem iam effatas consignare statuit.

31. Conventus consilio Episcopi Premisiensi favet, ut dies festus S. Stanislai Kostka in toto orbe terrarum secundum ritum duplum celebretur et Episcopo proponenti auctoritatem tradit S. Patrem nomine Conventus adeundi.

32. Archiepiscopus Leopoliensis ritus Latini nuntiat se anno 1917 a Sede Apostolica precatum esse, ut Litanis Lauretanis verba adiungerentur "Regina Regni Poloniae" responsumque recepissem "dilata". Interrogat, an non opportunum foret nunc preces repetendi, cum invocationem "Regina Regni Poloniae" recitamus indulgentiasque Litanis adhaerentes perdamus.

¹¹⁶ Copia (dactylogr.) epistulae aepi Edmundi Dalbor ad Summi Administratorum Consilii praefectum 28 VIII 1919 datae, quae separatim non publicatur, servatur in AV, Arch.Nunz.Vars. 195 f. 749r.

Congregati Archiepiscopo ius tradunt preces supplices Beatissimo Patri nomine Conventus emittendi.

Sessio V
die 29 Augusti hora 9 matutina habita

Socii Conventus hora 9 matutina in ecclesiam cathedralem se contulerunt, ubi duce Primate Archiepiscopum Achillem Ratti, Nuntium, Gnesnam ad sepulchrum S. Adalberti orandi causa advenientem salutatione excipiunt. Data redditaque salute se congregaverunt in exedra deliberationum Archiepiscopo Leopoliensi praesidente, ubi causas ordine diei positas porro tractare persequebantur.

33. Primas in exedram deliberationum Nuntium introducit. Quem uti hospitem dilectum salvare iubet eumque implorat, ut Beatissimo Patri sensa filialis amoris et oboedientiae, simul et summas gratias pro benedictione pro deliberationibus huius Conventus impertita exprimat. Nuntius pro cordiali salutatione grates referens significabat se ad sepulchrum episcopi martyris pro exsuscitata Polonia oravisse. Dein ad ulteriores deliberationes Primate praesidente accesserunt Episcopi.

34. Princeps Episcopus Cracoviensis de Collegio Polonico Romano refert, quod praesenti tempore 50 000 L. aeris alieni premitur¹¹⁷; porro de Hospitio, cui vi adducta coemptio areae ad hospitium pertinentis minimo pretio imminet, nisi in ista area statim domus aedificetur; denique de ecclesia S. Stanislai cum aedificiis ad illam pertinentibus, quam Russia ad se vindicabat. Inter alia venditionem hospitii proponit, quod ad aedificia p[re]ae ecclesia S. Stanislai transferri potest, ut pecunia ad aes alienum solvendum praestoletur, aut mutuum argentum in summa 400 000 L. rogare a S. Patre pro domo in area hospitii aedificanda. Rationibus pro et contra perpensis Conventus decernit:

1) adire Gubernium, ut pro causa Episcopatus Polonici ecclesiam S. Stanislai Romae cum aedificiis ad illam pertinentibus recipiat;

2) nominare Principem-Episcopum Cracoviensem plenipotentem Episcopatus Polonici in causa trium supra commemoratarum institutionum cum iure omnia faciendi, quae convenientia agnoscit. Plenipotentiam Primas signabit;

3) invitare nuper nominatum rectorem hospitii Rev. Gautier, ut illico Romam perget;

4) rectori hospitii decernere 6 000 L. qua annuos reditus et 6 000 L. pro sustentatione;

5) rector hospitii procurator negotiorum Episcopatus Polonici Romae esse debet.

¹¹⁷ Vide annexum n. 6.

Archiepiscopus Bilczewski nuntiat se paratum esse pro necessitatibus hospitii unum e bonis archiepiscopalibus offerendi. Conventus Archipraesuli gratias cordiales exhibet.

35. Episcopus Plociensis refert de introducenda uniformitate quoad:
1) festa, 2) ieunia, 3) reservata¹¹⁸.

Conventus auditis illustrationibus accurate expositis argumentisque a referente collectis, constituit:

1) quoad festa:

a) eniti, ut in toto regno se accomoden ad can. 1247 diminuentem festa fori et chori; festum S. Iosephi non celebrare, ubi non erat;

b) diebus festis can. 1247 abolitis, qui usque hoc apud nos solemni modo celerabantur, clerus concorditer cum iure Ecclesiae; uti in festis chori eadem ratione sacra peraget, quae tamen fideles ad audiendam missam sacram et ad intermittendos labores serviles non obligant.

c) festa patronorum parochialium diesque indulgentiarum gradatim transferre ad proximas Dominicas; sacerdotes vicini in sabbatis et ante has Dominicas confessiones audient; qua ratione fideles sine difficultate die Dominica ad mensam Domini accedere possunt.

2) quoad ieunia: can. 1250-1254 servetur, sartus tectus, Codex [Iuris Canonici]; consuetudo edendi in diebus ieunii pluries in die ad societatem et in diebus abstinentiae pluries carnem, ad tempus tolerari seu potius dissimulari potest; in viis ferreis et in tabernis omnibus diebus anni caro edi potest.

3) quoad reservata: stricte servetur can. 893-900; exoptatum est, ut Ordinarii iure sibi concessa reservata statuendi non utantur.

36. Episcopus Lublinensis refert de introducenda uniformitate quoad ceremonias. Conventus causam extraordinarie complicatam agnoscens, recuperatores elit, qui propositum Rituale elaborent, Episcopum Lublinensem, Episcopum Tarnoviensem, Episcopum Plocensem et Episcopum Castrensem.

37. Primas legit telegramma legati rei publicae Polonae ad Sedem Apostolicam Wierusz-Kowalski, qui Conventum salutat eique vota exprimit, ut labor eius fructibus abundet pro Ecclesia et patria¹¹⁹. Conventus Rev.mum Primatem rogat, ut legato gratias exhibeat. Conventus ore Rev.mi Nuntii certior factus legationem ad Sedem Apostolicam a Gubernio Poloniae ad gradum legationis I classis elatam esse, Rev.mo Primi mandavit, ut ad manus Praesidis Administrorum gratias referret¹²⁰.

¹¹⁸ Copia (dactylogr.) relationis epi Antonii Iuliani Nowowiejski, quae separatim non publicatur, custoditur in AV, Arch.Nunz.Vars. 195 f. 751r-753r.

¹¹⁹ Copia (dactylogr.) telegrammatis legati Iosephi Kowalski, quod separatim non publicatur, servatur in AV, Arch.Nunz.Vars. 195 f. 754r.

¹²⁰ Vide annexum n. 7.

Sessio VI
die 29 Augusti hora 3 vespertina habita

38. Nuntius Apostolicus nuntiat Beatissimum Patrem decrevisse Episcopos rit. Lat. in illis dioecesibus, in quibus non adsint Episcopi rit. orientalis, iurisdictionem habere supra fideles ritus orientalis, salva tamen conditione, quod de necessitatibus unitorum obsequendo current, habita ratione cultus et linguae eorum.

39. De cura animarum exercituum refert Episcopus Castrensis et certiores reddit congregatos de difficultatibus, quibus occurrit ex parte auctoritatis militaris, capellanorum, qui antea ad diversos pertinebant exercitus et propter indigentiam cleri. Audita relatione Conventus constituit:

1) ius dare Episcopo Castrensi exercituum Polonorum Sedem Apostolicam adeundi, ut iura et privilegia pro Episcopo exercituum Polonorum eique subnoxio clero militari iuxta normam Vicariis Apostolicis Castrenibus in pristina Monarchia Austro-Hungarica concessas recipiat, excepto iure matrimonii benedicendi;

2) obligare clerum parochiale, ne a militibus copulam matrimonialem ineuntibus neque pro proclamatione bannorum, neque pro testimoniis bannorum, neque pro data permissione matrimonio benedicendi et si dispensationem vel veniam acquirere necesse esset, ne quidquam pro expensis Consistorii petat;

3) obligare clerum parochiale, ut sacerdotibus militaribus auxilio sit (in cedenda ecclesia, altari, suggestu funebri etc.);

4) sacerdotes militares extra aciem vestem clericalem in usu in dioecesi, ad quam pertinent, receptam et capitis tegumentum militare portare debent, in acie vero vestem breviorem (czamara) colore in exercitu usitato;

5) Ordinarii Episcopo Castrensi petente sacerdotibus subnoxii permissionem tribuent officia capellanorum militarium amplectendi ad summam 5 numeri cleri sui. Ut haec quaestio Episcopis facilior reddatur, Episcopus Castrensis etiam candidatos a clero regulari ambit.

Cum intra exercitus libri et scripta Ecclesiae faventia interdicantur, in causa ista Episcopus Castrensis nomine Conventus convenienti ratione progredietur.

40. Episcopus Castrensis profert proposita programmatum de instruenda religione in schola elementari 7 classes complectendi et schola media cum 8 classibus, elaborata a sacerdotibus: Ślepicki¹²¹ Cracoviensi et Piotrowski Siedlcensi. Quae proposita ex mandato Ordinariatum in coetibus localibus Circulorum Rev. Praefectorum adamussim discussa sunt. Delegati Episcoporum ex cunctis dioecesibus (excepta Plociensi) in sessionibus die 21 et 22 Augusti a. 1919 habitis supradicta programmata probaverunt provisis correctionibus a singularibus delegatis praestitis (Delegatus dioecesis Tar-

¹²¹ Marcellus Ślepicki, cfr. ANP LVII/4, notam 47, p. 399.

noviensis votum separatum emisit suumque protulit propositum). Conventus ambo proposita programmatum approbat, preces vero propositas hac ratione mutat:

Preces ante lectiones: "Sancte Spiritus, qui corda mentesque nostras ilustras, auge in nobis amorem studii et ingenium, ut haec doctrina nobis sit utilitati terrestri et coelesti, per Christum Dominum nostrum. Amen. Maria, Regina Regni Poloniae, ora pro nobis".

Preces post lectiones: "Gratias tibi, Deus, pro lumine huius doctrinae. Desidero, ut illa accensus Te semper praedicare Tuamque voluntatem implere possim per saecula. Per Christum Dominum nostrum. Amen".

41. Episcopus Lublinensis legit relationem de actionibus Universitatis Lublinensis pro anno academico 1918/1919, e qua elucet hanc Almam Matrem catholicam ratione doctrinali in dies amplius se evolvere eiusque subsistentiam largarum collationum gratia pro anno 1919/1920 cautelam praestare¹²². Conventus Rev. Rectori, Praelato I. Radziszewski gratias promit pro assiduo labore, Domino Carolo Jaroszyński¹²³ pro non parcendo pecuniis ad institutionem doctrinalem pro Ecclesia et Regno tam utilem, Domino Francisco Skapski¹²⁴ pro plus decies centenis millibus rublarum ad Institutum pedagogicum Universitatis Lublinensis condendum. Conventus a Rev.mo Primate rogat, ut supradictas gratias referat; Episcopus vero Lublinensis preces ad Episcopatum Polonicum dirigit, ut prytaneum pro auditoribus sacerdotibus in hac Universitate adiuvet.

Hodierno die Conventum reliquerunt: Episcopus Premisliensis, Cujav.-Calissensis, Plociensis, Auxiliaris Sejnensis, qui Secretario Conventus ius dabat consignandi nomine suo protocollon Conventus cuncta cum Conventu iuncta documenta, et Episcopus Tarnoviensis, qui Principi-Episcopo Cracoviensi facultatem signandi ut supra tribuit.

42. Conventus propositam exhortationem scriptam ad fideles a vocatis ad hoc recuperatoribus probatam approbat auctorique Archiepiscopo Teodorowicz gratias pro labore exprimit¹²⁵.

Sessio VII die 30 Augusti hora 9 matutina habita

43. Nuntius Apostolicus pronuntiat se effecto coetus Varsaviensis decreto Sedem Apostolicam cum precibus adiisse, ut Visitator Apostolicus pro ordinibus et congregationibus religiosis utriusque sexus nominaretur seque iam responsum excepsisse a Cardinali Praefecto Congregationis Religioso-

¹²² Vide annexum n. 8.

¹²³ Carolus Jaroszyński, cfr. ANP LVII/2, notam 122, p. 47.

¹²⁴ Franciscus Skapski, cfr. ibidem, notam 123, p. 47.

¹²⁵ Cfr. *Biskupi polscy, zebrani w Gnieźnie u grobu św. Wojciecha, do Narodu Polskiego* [Epi- scopi Poloni Gnesnae apud tombam s. Adalberti congregati ad Nationem Polonam], KDKK, 13(1919) nr 10-11, p. 257-264.

rum de mandato a Beatissimo Patre sibi, Nuntio, concredito, ut visitationes institueret¹²⁶; quapropter ab Ordinariis precatur: 1) ut ad manus Principis-Episcopi Cracoviensis^{c)} notitiam de ordinibus et congregationibus religiosis in suis dioecesis existentibus mittant, 2) ut sacerdotes tam saeculares quam regulares designare velint, qui monasteria domosque congregationum religiosarum fructuose visitare possent. Congregati declarationem Nuntii notificant literasque in hac causa praeparatas ad S. Patrem amplius non mittere constituunt.

44. Princeps-Episcopus Cracoviensis refert de decretis facultatum theologicarum et Consilii interacademicus Varsaviensis in causa impertiendi gradus doctrinales, examinum, nominationis professorum facultatum theologicarum, et periculum denotat male intellectae autonomiae facultatum theologicarum ius canonicum violentium. Conventus referentis conceptus comprobat causamque conficiendam curatoribus Episcopis traditum cum iure ad se accessendi professores facultatum theologicarum. Curatores deliberant etiam de numero cathedralium in facultatibus theologicis necessariarum et de quaestione, an minor aut maior theologia doceatur. Conventus quaestionem ponderabat, an consideratis negativis facultatum theologicarum rationibus in Universitatibus quoad mentem sacerdotalem in theologis perficiendam, non anniti oporteret, ut claudantur easque conservandas esse declarabat, cum multo plus positivae existant rationes quam negativaes. Ne liberalismus adiuvemus, qui theologiae ius tituli doctrinae denegat et facultates theologicas ex Universitatibus amovere constanter enititur.

45. Episcopus Lublinensis refert de conservatoribus a Ministerio Artis et Culturae missis et proponit, ut Administrum animum attendant, in causis artis ecclesiasticae principatum sententiae habere Episcopos ut administratores ecclesiarum aedificiorumque ecclesiasticorum in dioecesis suis; ad ultimum non repugnaret Consilium mixtum, quod extremo iudicio in litibus decerneret. Conventus hanc causam conficiendam curatoribus Episcopis tradit.

46. Spectata agitatione circa personam Episcopi Bandurski incepta, Conventus a Nuntio Apostolico precatur, ut Nuntium Apostolicum Vindobonensem adire velit nuntiandi causa, qua ratione Episcopo Bandurski iudicium Sedis Apostolicae traditum sit et an iudicii rationes ei pronuntiatae sint¹²⁷. Conventus iurare cupit Episcopum Bandurski, ut e praesenti difficultate, in qua moretur, exiret, dummodo bonam monstraret voluntatem. Conventus categorice cum dolore profitetur, se si ad hoc cogeretur, causas amotionis Episcopi Bandurski a munere Suffraganei et Canonici Leopolensis publicaturum fore. Quod decretum perficiendum Conventus curatoribus Episcopis committit.

¹²⁶ Cfr. ANP LVII/5, N. 901, p. 272-273.

¹²⁷ Cfr. N. 1081.

47. Rev.mus Primas refert de causa Scriniae centralis Posnaniae conditae pro associationibus a) operariorum, b) mulierum laborantium, c) iuventutis, et informat, ad scrinias centrales conservandas magnos sumptus impedendos esse. Primas iam 60 000 M dedit congregatosque orat, ut de collatione pecuniarum necessariarum current, divitibus perdonis exquirendis. Conventus constituit partem habere in exquirendis mediis materialibus pro causa tam sublimi et patriae Ecclesiaeque tam utili.

48. Rev.mus Primas nuntiat pro praesidibus Associationum Operario-rum, Mulierum laborantium et Iuventutis, Posnaniae commentarios men- struos "Sprawa Społeczna" (De re sociali) esse conditos¹²⁸; pro quibus pre-tium singulis mensibus in antecessum solvendum est 3,50 M. Conventus de-cernit, ut quisque Ordinarius parochis commendet repraesentare hos com-mentario sumptibus Cassae ecclesiasticae.

49. Conventus demandat Curatoribus Episcopis edere nomine Conven-tus literas pastorales ad clerum, in causa studii socialis in operarios, mulie-res laborantes et iuventutem de quaestu viventem iam constituti.

50. Conventus confert ad Curatores "Foedus Catholicum" de integro ordi-nandum et propositum elaborandum: a) confinium dioecesium et archi-dioecesium, b) consiliorum parochialium, c) ephemericis diurnae catholicae pro tota re publica, d) sanctuarii gratiarum actionis et supplicationis publi-cae institutae gratorum animorum sensa testantis pro exsusitata Polonia, e) condendae vel emenda vineae et fabricae candelarum (quas causas Cu-ratores, si praeopere necessarium esset, nomine Conventus conficere pos-sunt) et Generalem Fratrum Misericordiae adeundi de provincia in Polonia erienda.

51. Rev.mo Primate proponente, Conventus decernit in causa celebra-tionis solemnum in honorem S. Stanislai Kostka: dies solemnis S. Stanislai Kostka in tota Polonia uti principalis solemniter religiosa Congregationum Iuventutis Polonae celebrabitur. Qua fine:

1) quotannis in omnibus parochiis et ecclesiis specialia sacra hac inten-tione celerabuntur, instituenda ratione sequenti: a) solemnitas in honorem S. Stanislai Kostka semper die Dominica post 13 Novembris vel die 13 Novembris, si haec dies est dies Dominica, celebratur; b) die Sabbato omnes parochiae iuvenes confessionem sacram peragent; c) die Dominica in missa sacra, cui tota iuventus cum vexillo intererit, Congregatio ad Communionem Generalem accedet; ubi plures missae sacrae celebrantur, communio generalis tempore missae sacrae matutinae excipietur; si necesse est, sacer-dotes permissionem binandi petant; d) infra missam sacram pro iuventute concio accommodata habenda commendatur; in omnibus concionibus huius diei Dominicæ causa erudiendae iuventutis adolescentis attingenda est; e) collatio infra sacra collecta in Cassam Ordinariatus pro rebus Circuli Dioecesani Congregationum Iuventutis Polonae refertur.

¹²⁸ Cfr. N. 1257.

2) Tempore pomeridiano vel vespere pro iuventute eiusque familiis familiaribusque solemnia saecularia instituenda sunt, iuxta programma a superioribus moderatoribus Congregationum Iuventutis Polonae constitutum. Reditus ex his solemnibus in Cassam singularium Congregationum refertur, in quantum loco adsunt; si in parochia desunt, reditus ad Ordinariatum pro rebus Congregationum mittatur.

52. Literae a recuperatoribus Episcopis elaboratae ad organarios probabantur.

53. Propositae literae in causa ecclesia S. Stanislai Romae et aedificiorum ad eam pertinentium ad Praesidentem, Administrorum dirigendae, a Principe-Episcopo Cracoviensi probatae approbatae sunt¹²⁹.

Sessio VIII
die 30 Augusti hora 5 vespertina habita

54. Causa agitatoris Fortuna in dioecesi Sandomiriensi et a Gubernio adiuti, sacerdotem simulantis aut sacerdotem, qui ecclesiam nationalem condere vellet, agentis, ab Archiepiscopo Teodorowicz et Episcopo Ryx Praesidenti Administrorum vel Viceministro de Rebus Externis proponetur¹³⁰. Decretum canonicum edetur ab Episcopo Sandomiriensi.

55. Conventus constituit propagare opus consecrationis familiarum Cordi Iesu Sacratissimo instituendae.

56. Benedictus Rzeny sacerdotem simulans, pro hac re ad carcerem condemnatus, veste ordinis S. Francisci aut S. Benedicti indutus nunc in Polonia commoratur. Rev.mus Primas commonet.

57. Ptaszek, sacerdos maritus, suspensus, Varsaviae vagatur; Rev. Ludovicus Dąbrowski¹³¹, sacerdos Leopoliensis non suspensus, sed iurisdictione privatus est.

58. Ratio, iuxta quam magistri et magistrae Circulis Magistrorum Socialistarum et Modernistarum aggregati in his Circulis vim benignam habeant, erronea est, et Conventus auscultat, circulos catholicos magistrorum condendos et adiuvandos esse et Rev.mum Primatem adit, ut hanc rem incipiat, cum in provincia Posnaniensi optimum pro his rebus praestoletur fundamentum. Curandum est, ut membra circulorum magistrorum auxilium habeant cibaria emendi. Conventus conficiendum et evolvendum hoc decretum Curatoribus Episcopis commendat.

59. Conventus recuperatores ad elaborandam causam unionis elit Archiepiscopum Leopoliensem ritus Latini, Episcopum Premisiensem, Episcopum Lublinensem, Episcopum Kamienecensem, Episcopum Podlachensem, Episcopum Minscensem, Episcopum Vilnensem.

¹²⁹ Vide annexum n. 9.

¹³⁰ Cfr. N. 1148.

¹³¹ Sac. Ludovicus Dąbrowski, natus a. 1860, presbyteratum accepit a. 1884. A. 1937 commoratus est Iablonoviae (Jabłonów) tamquam sacerdos emeritus.

60. Minister Iustitiae interrogat, quales ordines tutelam captivorum suscipere possint. Responsum est, praeprimis Congregationem Missionarium S. Vincenti a Paulo et Albertinorum.

61. Rev.mus Primas deliberationes claudit praesentibusque pro labore gratias refert. Archiepiscopus Leopoliensis ritus Latini gratias exprimit Primi, quod Episcopos convocavit Conventuque praefuit, Rev.moque Nuntio, quod ad concludendas deliberationes advenit cum informationibus a Sede Apostolica receptis, et supplicat, ut Nuntius Sedi Apostolicae sensa venerationis, amoris et obsequientiae filialis a Conventu exprimat.

Ad finiendum Conventum Episcopi in sacellum Seminarii Gnesnensis se contulerunt, ubi ante Sacrosanctissimum Sacramentum expositum Te Deum in gratiarum actionem Deo Optimo decantatum est.

Edmundus Dalbor, Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis, Primas

Iosephus Bilczewski, Archiepiscopus Metropolita Leopoliensis

Iosephus Teodorowicz, Archiepiscopus Leopoliensis ritus Armeni

Adamus Stephanus Sapieha, Princeps-Episcopus Cracoviensis

Iosephus Sebasianus Pelczar, Episcopus Premisliensis

Stanislaus Casimirus Zdzitowiecki, Episcopus Cuiav.-Calisiensis

Leo Wałęga, Episcopus Tarnoviensis

Antonius Julianus Nowowiejski, Episcopus Plociensis

Marianus Ryx, Episcopus Sandomiriensis

Augustinus Łosiński, Episcopus Kielcensis

Sigismundus Łoziński, Episcopus Minscensis

Marianus Fulman, Episcopus Lublinensis

Henricus Przeździecki, Episcopus Podlachiensis

Georgius Matulewicz, Episcopus Vilnensis

Petrus Mańkowski, Episcopus Kamiencensis

Stanislaus Gall, Episcopus Castrensis Exercituum Polonorum
et qua vices gerens Archiepiscopi Varsaviensis

Romualdus Jałbrzykowski, Episcopus Auxiliaris Sejnensis
et qua vices gerens Episcopi Sejnensis.

a-a) *In margine sinistro adnotatio manu Achillis Ratti scripta:* Nec pura nec tota veritas. A. R.

b) *In margine inferiore adnotatio manu Achillis Ratti exarata:* Non solum non fuerunt exposita Nuntio, sed etiam sedulo occultata. A. R. Protocollo habuit Nuntius die 30^a Octobris - Versionem Latinam, cura Archiepiscopi Varsaviensis, die 9 Decembris. A. R.

c) *In margine sinistro adnotatio manu Achillis Ratti exarata:* vel etiam ad se directe.

Annexum n. 1:

Card. Petrus Gasparri
Edmundo Dalbor, aepo Gnesnensi et Posnanieni

Romae, 20 VIII 1919.

A l'occasion de la première réunion plénière du vénérable épiscopat polonais auprès du tombeau du Saint Archevêque et apôtre de la Pologne, le souverain Pontife, se réjouissant de la touchante pensée qu'ont eue les évêques de la Pologne, heureusement reconstituée, de venir chercher l'inspiration au berceau glorieux des traditions religieuses, jalousement gardées à travers les siècles par cet illustre siège archiépiscopal, me charge de vous exprimer, en témoignage de ses sentiments paternels, ses voeux chaleureux pour le succès des travaux entrepris pour la prospérité morale et matérielle de votre chère patrie et vous envoie en même temps, ainsi qu'à vos vénérables confrères et à leurs ouailles, comme gage d'abondantes grâces célestes, sa bénédiction apostolique.

Card. Gasparri

Annexum n. 2:

Achilles Ratti
Edmundo Dalbor, aepo Gnesnensi et Posnanieni

[Varsaviae, 26 VIII 1919].

Die vigesima nona mane ero Posnaniae, ad sepulcrum S. Adalberti statim venturus prouti cum Excellentissimo Gall convenit. Cum obsequio gratias ago. Nuntius Apostolicus

Annexum n. 3:

Edmundus Dalbor, aepus Gnesnensis et Posnaniensis
Ignatio Paderewski, Consilii Ministrorum praefecto

Gnesnae, 28 VIII 1919.

Jaśnie Wielmożny Panie Prezydencie!

Biskupi polscy zebrani na Zjeździe w Gnieźnie zwracają się z prośbą do rządu polskiego, aby zanim sprawa majątku kościelnego i uposażenia duchowieństwa będzie definitelywnie załatwiona, przyszedł w pomoc księżom cierpiącym niedostatek i to we formie nadzwyczajnego dodatku za rok 1919.

Ponieważ warunki w diecezjach byłych trzech zaborów są odmienne, wy stosują biskupi osobne wnioski stosownie do potrzeb swoich diecezji.

Jaśnie Wielmożnego Pana Prezydenta zaś prosimy, aby rząd wniosek nasz wspólny w zasadzie przyjął i stosowne dyspozycje wydać raczył.

† Edmund Dalbor
Arcybiskup i Prymas

Annexum n. 4:

Episcopi Poloniae
Benedicto XV papae

Gnesnae, 27 VIII 1919.

Beatissime Pater!

Episcopi Poloniae ad S. Adalberti, sui Patroni Primarii, sepulcrum congregati, ut de Ecclesiae in Polonia rebus negotiisque gravibus deliberarent, tum piissimo gratissimoque nomen ac memoriam Sancti Martyris celebrantes, illius nempe, qui primus inter Sedem Apostolicam gentemque Polonam vinculum nectens in perpetuum illud suo sudore ac sanguine constrinxit, cuius sepulcrum gloriosum Metropolis Gnesnensis, cui Poloniae Primatis dignitas adjuncta est, fundamentum extitit, ita ut illa iure merito omnium Poloniae ecclesiarum matrix haberetur, tum memoria recolentes perpetua benevolentissimi illius amoris signa, quibus Sedes Apostolica ecclesiam gentemque polonam cumulare nunquam destitit; imprimis summas gratias Tibi, Beatissime Pater, referimus et pro illa Tua libertate larga, qua populum nostrum bello oppressum exhaustumque prosecutus es; - et pro illo benevolentiae Tuae recentissimo documento, quod Nuntii Apostolici munus dignitatemque in Polonia nuperrime erexisti; - et pro eo, quod Tua Paterna benignitate etiam nostra vota et obsequia praeveniens, Tuam gratulationem atque Paternam Benedictionem, coelestis pro nostris deliberationibus auxiliu auspiciens, mittere dignatus es.

Deinde nostram erga Te, Divi Petri, Apostolorum Principis Successoris, reverentiam oboedientiamque asseveramus pariter atque amorem filialem et fidelitatem quam maximam, in qua et nos usque ad extremum vitae no-

strae halitum perseveraturos et nostrae sollicitudini gregem commissum in eodem strenue confirmaturos esse spondemus.

Tandem ad pedes Tuae Sanctitatis provoluti, Tuam Apostolicam Benedictionem mente devotissima imploramus.

Annexum n. 5:

Episcopi Poloniae
Benedicto XV papae

[Gnesnae, 28 VIII 1919].

Beatissime Pater!

Nos Poloniae Episcopi, conventus celebrandi causa ad S. Adalberti sepulcrum congregati, necessarium esse duximus haec Tibi, Beatissime Pater, cum sinceritate filiali, exponere atque Tuo, supremi nostri Pastoris, iudicio et decisioni omni cum obsequio submittere:

I. Notum nobis est factum Sanctae Sedi in animo esse, ut et quaestio nem de bonis ecclesiasticis alienandis, quae nuper in nostris comitiis una cum re agraria mota et tractata est, et cetera pacta cum nostro gubernio confienda una cum concordatis eodem cum gubernio ineundis quaestione iungat, immo vero, ut etiam statim nunc temporis rem de eiusmodi concordatu ineundo tractandam suscipiat.

Id fieri non posse nobis videtur, nisi cum maximo ecclesiae nostrae periculo. Ipsa tempora et conditiones, in quibus ecclesia polona versatur, vel maximae inopportuna esse videntur ad eiusmodi concordatum ineundum.

1. Etenim nunc temporis ecclesia polona ipsa vi traditionis omnibus illis beneficiis fruitur, quae illi pristini concordatus cum guberniis: russico, austriaco et germanico initi tribuebant; ea vero, quae in illis concordatibus nostrae ecclesiae minus favorabilia esse poterant, iam ipsa rerum mutatione et eventibus, quae intercesserunt, abolita sunt. Atque haec, quae ecclesia nostra nunc possidet iura, nemo, ne inimici quidem, ei subripere audent.

Eiusmodi autem ecclesiastica iura et privilegia: ut cleri congrua sustentatio eiusdemque a servitio militari immunitas, ut ecclesiae debita libertas, ut eidem loci principis, ut convenit, in Rei Publicae constitutione assignatio et cautio, in nostrae reipublicae constitutionis schemate, quod elaboratur, vel iam agnita sunt, vel procul dubio agnita erunt.

Itaque, quae aliis in conditionibus ordinarie obtineri non possunt, nisi concordatus via, et variarum in favorem gubernii concessionum, ea in Polonia et sine concordatu et sine ullis concessionibus iam felici eventu obtenta sunt. Itaque spectatis conditionibus, quae nunc in nostra Republica sunt, nulla ineundi concordatus appetit necessitas.

2. Si illa negotia, que supra diximus concordatus via expedienda assumantur, nostra opinione facile fieri poterit, ut ecclesia in Polonia non solum ad varias concessiones in favorem gubernii faciendas adigatur, sed etiam ut eis iuribus, quibus nunc pacifice fruitur, spoliari possit. Nam si nunc temporis etiam deputati radicalistae non audent in comitiis ecclesiae nostrae iura, longaeva traditione sacra, impugnare, procul dubio suam agendi rationem immutabunt, cum haec iura, quae ecclesia possidet, eorum deliberationi necessario subiecta erunt, quando de concordatu ratificando agetur. Certo certius ecclesiae inimici hanc occasionem arripientes, cum diu retento furore in eius iura et privilegia impetum acerrimum facient. Deputati autem, quorum suffragiis niti certo possumus, vix ac ne vix quidem maiorem constituant partem; quo fit, ut scrutinii exitus incertus esse possit.

3 Polonia, eiusque gubernium nunc temporis quasi in transitorio et anciipi statu adhuc esse conspiciuntur, atque contra revolutionis et radicalismi pericula luctari coguntur. Talibus in conditionibus gubernia solent radicalistarum placitis connivere eorumque postulatis cedere atque ob metum, ne radicalistae turbas moveant et revolutionem provocent, etiam a suis promissis iam factis facile desistunt. Radicalistae vero nostrorum comitiorum per suos duces iam asseverant se contra qualemcumque concordatum esse affectos omnemque concordatum plane impugnaturos esse.

II. Maximo quoque nostrae ecclesiae detrimento fore nobis videtur, si Sedes Apostolica ipsa per se cum nostro gubernio quaestionem de bonorum ecclesiasticorum alienatione tractandam suscipiat. Notum enim est, nostras politicas radicalistarum fractiones et in comitiis et extra eadem id omni conatu egisse, ut gubernium polonum quaestio agrariae causa, quacum et quaestio de ecclesiasticorum bonorum alienatione coniuncta est, nollet ad Sanctam Sedem recurrere. Dolendum quidem est, sed haec eorum actio nequam tulit fructus, nempe contra ecclesiam pugnae exordium extitit, in quo plurimi decepti et inter populum rusticum et inter rusticos deputatos illecti sunt. Ipsum propositum: ut quaestio scilicet de alienandis bonis ecclesiasticis definitive non solvatur, nisi de Sedis Apostolicae consensu, probatum quidem est in comitiis, sed valde exigua tantummodo suffragiorum maiestate. Neque id praetereundum est, quod eodem tempore hac in re aliud quoque unius e socialistis probatum est in comitiis propositum, quo illud primum nacta occasione, plane eludi abolerique facile potest.

Quae circumstantiae si prae oculis habeantur, fere certo haec praevideri possunt: nempe etiamsi Sedes Apostolica, rem bonorum ecclesiasticorum cum gubernio Poloniae tractando, vel maxima commoda obtainuerit, sufficiet tamen vel unum agri iugerum ecclesiae in Polonia adiudicare, ut factiosi homines hanc ob rem contra nostram ecclesiam et maxime contra ipsam Sedem Apostolicam populum excitent; expectant enim illi solummodo occasionem opportunam, ut sub quovis licet maxime fictili praetextu luctamen con-

tra religionem inchoatum denuo, et etiam tam ea maiore cum vi, suscipere queant.

Quae cum ita sint, vel maxime periculosum esse ducimus, ut simul et de bonis ecclesiasticis alienandis et de concordatu ineundo tractetur, nam procul dubio odium excitatum ob pacta inita cum gubernio in re agraria transerentur et in ipsum concordatum et tandem etiam in Sedem Apostolicam. Quam sententiam nostram ad ea addicimus, quae supra, cum de ipso concordatu ineundo egimus, ediximus. Prae oculis habentes possibilitatem tum luctaminis religiosi ecclesiae in Polonia imminentis, tum ipsius Sanctae Sedis auctoritatis et maiestatis impugnandae, omnino inopportunum esse putamus, ut Sancta Sedes nunc temporis per seipsam tractationem immediatam sive rei de bonis ecclesiasticis alienandis, sive concordatus ineundi cum gubernio Poloniae suscipiat atque hac ratione suam auctoritatem illis periculis, quae supra indicavimus exponat; quamvis enim fiet, ut illae tractationes Romae agantur, nihilominus tamen comitiorum ratificationi subiectae erunt; atque tunc sine dubio factiosi homines arripient occasionem ad Sanctam Sedem impetendam.

Ad quas res attendentes cum filiali obsequio atque libertate hanc propositionem facere audemus, ut scilicet Sancta Sedes attendendo ad antiquos usus et traditiones ecclesiae in Polonia, Episcopatui Poloniae facultatem immediate rem de bonis ecclesiasticis tractandi cum gubernio Poloniae benigne concedere velit. Ex nostra vero parte asseveramus nos, Poloniae Episcopos, et publici iuris facturuos esse, nos non proprio nomine sed Supremi Ecclesiae Bonorum Administratoris, Summi videlicet Pontificis, nomine et auctoritate in hac re procedere, et dein ipsa pacta cum gubernio conventa ultimae Sanctae Sedis decisioni definitivae subiecturos esse.

Qua via ac ratione si procedatur, speramus fore, ut via paecludatur et factiosorum hominum actionibus commotionibusque contra ecclesiam ipsamque Sedem Apostolicam et periculo luctaminis religiosi, quod in Polonia exoriri possit, fore ut auctoritas maiestatasque Sanctae Sedis sarta tutaque servetur; ut denique etiam maiora commoda a Gubernio, nobis ipsis illas res tractantibus, pro ecclesia obtineantur.

Tandem si Sedes Apostolica sese non implicabit immediatae cum gubernio Poloniae tractationi illarum quaestionum et rerum, quae spectatis adjunctis tam periculosae sint, etiam contra ipsam Sedem Apostolicam hostilitates ex parte populi excitare possint, speramus fore, ut ope Poloniae ad augendam S. Sedis auctoritatem non parum conferre possimus. Nam Polonia, qua catholica nunc inter cetera regna catholica insignem obtinet locum potentissimaque est. Quamquam ad tempus a factiosis hominibus hic et illic in nostris regionibus contra ecclesiam actiones commotionesque transitorie excitantur, tamen pacatis in nostra Republica rebus, certo certius illae disparebunt, atque populus noster, ut erat et est, ita et perpetuo manebit catholicus. Tunc temporis illo influxu et auctoritate freti, quibus inter popu-

lum gaudemus, non parum ad tuenda in toto orbe catholico Sedis Apostolicae iura ope gubernii Poloniae contribuere poterimus.

Hum.mi et ob.mi filii.

Annexum n. 6:

Sac. Paulus Smolikowski CR, rector Collegii Polonorum Romae
Episcopi Poloni

Kęty, 14 VIII 1919.

Do Najprzewielebniejszego Episkopatu Polskiego!

Niżej podpisany rektor Kolegium Polskiego w Rzymie ośmiela się przedstawić, co następuje:

